

11248.

4

1665 21 a

DEO FORTUNANTE:

DE

INDUCIIS

Publicè disputabunt

PRÆSES

M. CONRADUS SAMUEL SCHURTZ,

FLEISCH,

&

CAROLUS WIDEMANNUS, LIPS.

A. & R.

VI. Eid. Septembr.

A. E. C. V. cl^o l^o LXIIX.

in *Acroaterio Philofophorum*.

WITTEBEROÆ, Excudobat JOH. HAKE.

Conf. P. B. H. H.

864.



I N D I C I S

M. CO. R. A. D. I. C. I. S. S. I. M. I. L. I. T. A. R. I. A. M.

CAROLUS WILHELMUS

WILHELMUS JOHANNES

Handwritten signature or name, possibly "W. J. ..."



I. N. J.
CAPUT I.

§. I.

Multas esse res, quæ cum ad communis vitæ utilitatem; tum ad Reip. salutem magnam vim habeant, & rationes plurimæ, & verustissimorum Annalium monumenta, quæ afferre jam non expedit, clarissimè testantur. De exemplis Majorum a) nil dicam, cum ultro citroque posteritati prodita inveniamus, quæ nemo nisi ignarus reipublicæ, nescire, nemo nisi barbarus avertari, nemo denique, nisi salutis imperii immemor, odisse potest. Cujus ut dare liceat vel qualecunque documentum, locus, spero, differendi erit de Induciis, quibus ut victis b) nihil salutaris; ita sæpenumerò victori c) nil ad promi in pacem animi clementiæq; opinionem utilius est. Sed dignitatem quoq; earundem confirmat, quòd divini humaniq; juris fœdera violasse intelligatur, qui nescio quâ projectâ libidine & induciarum violare religionem d) & rumpere fas gentium ausit. Tum verò ex usu reipublicæ illas esse, cum multi, tum præcipuè fortes & de summa rerum præclarissimè meriti testabuntur, e) facile affirmaturi, & caput suum exitio se objecturos, & rempublicam in extremum discrimen adducturos fuisse, nisi rationes, quibus pietas obstringi possit, excogitassent, ac inducias, præcipua illa securitatis publicæ momenta, & quædam quasi salutis bellicæ pignora, quibus cum hæsitante ac destinatis adversante fortunâ in gratiâ redierunt, cum hoste pepigissent. f) Cæterû Induciæ certis stant legibus, & suis quasi vinculis continentur, quarum rationes ut excutiamus, honorificum, ut rectè ineamus, publicè est salutare. Et quidem Inducias vulgò eas probare solent, quas inchoat diffidentia g) sui, prudentia moderatur, quas fortitudo denique & spes magnis nixa consiliis, & validis instructa præsidis, & auxiliis hinc inde contractis firmata, h) finit. In qua curarum parte occupato & si optandum fuerat, vel limatissimi judicii, vel exquisitissimi ingenii Præceptores meos, hoc munere præclarissimè defuncturos, in vices meas succedere; nihilo tamen secius tantorum Virorum, quos Præceptores nancisci, haud exiguum felicitati robur, studiis certè decus est, favore atque patrocinio conari aliquid, integrum erit.

a) Est enim prudentis tenere placita Veterum, nosse exempla majorum. Conf. Cic. lib. III. de leg. & incomparab. Bœcler. dissert. de notit. Reip. Conringius in lib. de Civil. prud. b) Hi enim per inducias vires amissas colligunt. c) Hanc ob causam Sysigambis Alex. M. ex gratia & æquitate estimatum Dario ipso digniorem pronunciare non dubitat. Curt. III. 12. 24. Interest enim victoris, ut non magis justus, quàm misericors audiat. im. ejusd. IV. 11. Hoc nomine quoque Cæsar auctoritatem apud exteras gentes amplificavit, ut omnes dicerent, ope Deorum sua bella gerere. De bell. Gall. II. & alibi passim. Tali modo Darius Codomannus se misericordia &

continentia Alexandri Sictum, cum nulla se quidem hactenus vis subegerit, affirmat. ap. Curt. IV. 11. Huc spectant multa alia, quæ apud Liv. Frontin. Plurarch. Flor. Val Max. legas. Eodemque modo Cl. D. Baudius iudicat, Regem Hispaniarum non vi aut necessitate compulsam, sed benignitate & clementia adductum, federatos Belgas ad pacationem induciarum invitasse. Orat. de ampl. Bell. Belg. Induc. Tantum ut alibi, ita maxime in bello virtutis & benevolentia valet fama. Sed de hoc iudicabitur inferius. d) Cornel. Nep. in Agesilao XVII. 2. ubi Agesilaus affirmat, se servata Induciarum religione, sensisse Deorum Numen facere secum, hominesque sibi conciliatos. e) Laco apud Cornel. d. l. iis se confirmasse exercitum factetur. f) Argumento huic rei sunt Inducia inter Romanos & Sabinos pacta, apud Dionys. II. 5. g) Rectè in hanc rem Dominic. Baudius in Orat. de Induc. Bell. Belg. Libens, inquit, assentior iis, qui providam & sapientem diffidentiam opinantur esse firmissimum adversus fraudes & insidias munimentum. h) De his vid. nunquam satis admirandus Boxb. Instit. Polit. Baud. in Orat. de Induciis bell. Belg. & Nobilib. Joh. Strauch. in Diss. de Induc. Ut nihil de summo Grotio & auctore juris & iudicii specialis dicam.

§. 2. Vix est, ut quomodo rectè Induciarum leges ineantur, feliciter expediamus, nisi primo omnium nominis rationem habeamus. Si enim hæc leviora videntur, quæ tamen haud rarò gravissima sunt: hoc tamen minus ab iis abhorreo, quò magis ad rerum sæpe vim exprimendam faciunt. Agellius i) nisi tamen in re seriâ ludere velit, Varro nis sententiam expositurus, singulari quadam ratione causam aperire huius vocis studuit, arbitratus, inducias appellari à vocibus inde uti jam. Si proba tamen hæc lectio est. Certè verustissimo codici, quem ex Bibl. Paulian. D. Joh. Strauch. memorat, ea manifestè repugnat. Rationem, quam Agellius affert, subtilior est, quàm verior: verior, inquam, fortè in ista studiorni umbra, & apparatu λέξων. Ubi non tam vis ingenii, quàm literarum indoles æstimanda sæpe venit. k) Nihilò meliùs nostro iudicio sapiunt, qui ab initu (vel ut Veteres scripserit lego, ENDOITU:) deduci autumant. Eorum classi aggregant Aurelium Opilium, l) qui ne frustra hunc suscepisse laborem videretur. Induciae, inquit, dicuntur, cum hostes inter se utrinque alter ad alterum impunè & sine pugna ineunt. Inde ab eo, pergit, nomen esse factum, quasi initus atque introitus. Sed quis non videt, Opilium duriùs hanc originem interpretari? Tanrum abest, ut auream hanc derivandi rationem dicam, ut ab omni quoq; Classicorum auctorum usu longè alienissimam esse censeam. Quis enim fando unquam audivit? Quis uspiam legit, initu bonis Scriptoribus dici, quem sibi finxit Opilius, dignus, qui, ne quid duriùs dicam, ad Opilionum turbam abeat, si ita quidem ex animo sensit. Sunt, qui privatim tamen hactenus ita existimant, ab In & Duce appellari, persuasum habeant, quòd inducias facere, in Ducis belli sit manu. Ast, nisi fallor, iterum nimis à veritate hæc desleat originatio. Alii ab inducendo m) simpli-

simplicius deduci, arbitrantur. Et tamen quidam causantur, his rationem metri obstare: Nihil tamen secius rem esse confessam ajunt, quod derivata quaedam à fontibus suis nimis longè abeant. Sed ii, ut jam dicemus, vocem ex quorundam rivulis aestimant, quam ex fontibus debebant. a) Martinius aliam insistit viam, induciarum originem multò acutiùs ab In & Orium auspicandam esse, dictitans. Qui tamen si à Græco ἐνδύξέως o) deducere voluisset; parùm fortè abelliet, quin consentientes nos haberet: Nisi Vir Clarissimus ac Polyhistor exactissimi ingenii D. Chr. Daenius monuisset, iis, qui ab ἐνδύξέως derivatas velint, metri ac justæ pronuntiationis leges refragari. Cum enim syllaba, quæ tertia ab ultima est, in dictione Græca tempus breve habeat; id verò multò secus in voce Induciarum appareat, cujus initio proxima, tempus longum (loquendum n. hic cū magistris Poeticis est) retinet, justa, cur id displiceat, causa est. Hospitem enim in studiis humanitatis esse oportet, qui hoc ignorat. Producimus Terentium Eunuch. l. i. 15. Senec. Theb. v. 485. Prudentium, peristeph. 3. 126. argumento huic sufficientissimos testes. Recentiorum exempla, quales sunt Joh. Francisc. Picus, Bapt. Mantuan. Petr. Cursius, Calius Calvinus, Julius Sealiger, ea non sunt auctoritate, ut legem inter doctos faciant. Qui ab Indu vel Indo & otium deducunt, Cl. Daenio nugari videntur. Sed & aliis quoque hæc origo adedò non placet, ut longè quoque diversam eligant. Ad locum Agellii, qui extat l. i. Noct. Artic. c. XXV. Carrionis notas Daenius desiderat, & dissidium inter eum & Stephanum exortum detestatur. Igitur cum tertia ab ultima non litera brevi, sed longa & producta oporteat pronuntiarì, congruens est, ut suam metro legem servaturi, ab inducendo dictas velimus, cum per inducias cessatio quaedam ab armis inducatur. Nil clarius, nil certius est, satis argumenti habentibus, cur à Grotii, & qui hunc sequitur summus D. Joh. Strauchius, origine discedamus. Nec desunt, qui à vocabulo indicis vel indicii malint deduci, qui spem omnem in literarum j. & u. permutatione ponunt. Sed hi dum rem expedire conantur, impediunt magis.

i) l. i. cap. 25. cit. Math. Martino in lex. Philolog. in hac voce & D. Jac. Martin. l. 2. Polit. & D. Strauch. land. diss. Cui præter alios observatū est, multò secus illic legi: np. Induci Ansam. k) scilicet existimat, originem induciarum rectè hinc arcesse, quòd præterito induciarum tempore, quod mutua cõventione in itū est, omnia pristino rursù belli jure agere liceat. De rei veritate non laboramus, dummodò modus ille derivandi animum exsaturaret; Sed aliàs certum est, si placito Agellii standum, rectius scribi inducias, quàm inducias. Ita etiam scribitur in aliquibus juris nostri Systematis, ff. de capt. & Post l. l. 19. §. 1. Si tamen ex sola illa scriptione faciendum judicium esset, multa inepta, multa absurda inseri Originibus oporteret. l) Ita eum sentire in libr. quos Musarum inscripsit, testis est Agellius. m) Inducere alisquin Verbum est JCIorum proprium, & à rabellis

ceratis, sive pugillaribus, quibus literas stylo inscriptas, stylo iterum expungere licebat, desumptum ff. de his, quæ in test. del. l. i. §. i. Illud etiam inter omnes constat, Tranquillu hinc desumpsisse phrasin, inducere decretum, pro refigere vel rescindere leges. De accommodatione huius vocabuli cū ἰσχυρῶς ἐξαι disquiri posset. n) Lex phil. c. l. Incomparabili Grotio nostro ab Inde & Otium dici, D. Stranchius quoque monet, diss. laud. de Induc. Quo pertinet etiam vetus scriptio ENDOITIA vel INDOITIA. conf. Grot. de J. B. & P. III. XXI. 2. p. 602. o) Id præditum est significatu benevolentia & promptitudinis. Conventiones enim oriuntur ex consensu in idem placitum & ad fidem servandam efficaciter obligant.

§. 3. Cæterum ab his parum ad remp. redundare videtur emolumentum. Interim haud dimitemus occasionem disquirendi, quæ cum induciis paria in significatione faciant. Pax Castrensis Varroni, aliis cessatio pugnae pactitia: nonnullis foedus militare dicitur. Præter cæteros Thucydides ἐνεχειρία nominat, quod tempore Induciarum cohibitis quasi manibus, à pugna cessetur. Nec æquum est, ut prætereamus ἀναχωχήν, p) tritam Græcis vocem, hac significarione venire; quam ignorare non potest, qui vel à limine Herodianum salutavit. q)

p) Dicitur sic ἀπὸ τῆς ἀνω λᾶς ἀνωχᾶς ἐχειν. Aliis ita appellari videtur, quasi ἀνοχή ab ἀνέχω. q) In Oriente quadam observantur vocabula, à themate sensu concordia, reconciliationis, vel pacis prædito arcessenda. Gallis pactum Induciarum Treves, Italis Tregua dicitur, quod ad nauseam in schedulis pragmaticis frequentari videas. Nec id D. Strauch præterire potuit.

§. 4. Inde ad ambiguitatem evolvendam processuro, observandum est, Inducias jam sumi pro re ipsa, vel cessatione pactitia inter beligerantes constitutâ; jam pro formula, in qua conditiones mutuo paciscentium consensu approbatæ, ad posteritatis memoriam descriptæ extant. r) Cæteroquin ea significatio ad institutum nostrum haud quadrat, quâ, nomine induciarum, qualibet remissio vel relaxatio intelligitur. Qualem occurrere, nemini dubium est apud Cassiodorum & Jctos, qui pro suo loquentium more Inducias moratorias vocant, s) quæ debitoribus fortuito casu ad paupertatem reductis concedi solent, ut durantibus iis, facultatem habeant reparandi pecuniam, & dissolvendi æs alienum. Nec vacat & à proposito alienius est, horum afferre quintuplices Inducias, quas appellant, Restitutorias, Præparatorias, Citatorias, Deliberatorias & denique Executorias. Nam reminiscenti, politici partes jam mihi datas esse, aliò sunt cogitationes convertendæ.

r) Talem induciarum formulam legas apud Thucyd. l. IV. B. P & in Tom. III. Histor. German. p. m. 2090. Ubi Ebraimus Strotschenius nomine Solymanni Turc. Imper. literas protulit, in quibus exarata erant conditiones

ones, ad inducias octonis annis duraturas, pertinentes. Chaldaei, ut obiter inferam, literas conventionum vel contractuum Schoter appellant. Hinc *Æram Alexandri dictam accepimus, quasi diceret numerum cautionum.* Cateroquin de vario conventionis usu vid. laud. D. Strauch. s) Quae sint inducia sensu juridico, patet per l. 8. Cod. Qui Bon. Ced. Poss. Huc conf. Schönborner Polit. l. V. c. 26. f. Martini lib. III. Polit. partiens Inducias secundum glos. sum. 3. q. 2. Et Hahn. de Jur. Imper. German. Th. 40. §. 5. Add. Perez, f. Crus Lovaniensis n. 24. 22. C. h. t. Litera, quib; hujusmodi inducia conceduntur, Gallis dici solent *lettres de respit à un ou cinq ans, & quinquennel.* Vulgo appellari solent *gratia, rescripta moratoria, induciales, dilatoria securitatis, Quinquennelle / Schutzenstand Briefe.* Conf. Reform. Polit. de A. 1548. & 1570. it. N. A. A. 1654. formulam earum præbet Harsdörf. §. Secret. part. II. append. p. 740.

§. 5. Itaque ne sine præscripto ordinis differere videar: sequitur, ut expediam, unde vim atque sanctitatem Induciarum, tanto oculis evidentiùs subjicere liceat. Id facturum, à definitione auspicari in animum induxi. Ut verò omnia hoc loco ratione juris militaris, r) quod vel maximos juris gentium fructus tulisse accepimus, metienda censuerim. Ita haud pigebit, *Inducias appellare conventionem, u) militarem, à Ducibus & in certum tempus x) mutuae securitatis causa (y) initam, ut durante adhuc bello, z) pugna suspendantur, aliique omnes actus hostiles intermittantur. aa).*

r) Hinc qui jus belli non habet, nec jus pangendi inducias habere intelligitur. Sciatur hic tamen jus pangendi inducias ex iis esse, quae evidentis utilitatis respectu aliis quoque possint impertiri. Tametsi enim non ignoramus, potestatem faciendarum induciarum ad jura majestatis majora, gubernationem & statum reip. primariò concernentia, pertinere, tamen speciali ratione receptum à majestate est, ut usum talis juris aliquando inferiori concedat, munusque hoc sibi debitum, alteri tribuat, non jure proprio, sed indulgentia singulari, flagitante id necessitate publica, administrandum. Nam cura foederum, quae spectant ad salutem totius civitatis, à nemine, præterquam à Summa potestate, proficiscitur: Salvo tamen jure administrationis inferiori concedenda, quatenus id civitatis interest. v. Feld. Analys. Pol. l. 4. cap. 15. Cæterum hic jus induciarum militare cum jure induciarum ad relaxandos delitiores casu aliquo facultatibus lapsos, concessio, quas vulgò moratorias vocant, confundi non debet. Sed id jam manifestum est. Saltem dicendum mihi est, errare eos, qui hoc jus posterius regalibus accenseri juribus, quae reservata vocant, contendunt. Nam minimè dubium est, id præter Imperatorem & Sacri Imperii Interreges, Ordinibus quoque in sacratissimo imperio tribuendum jure potestatis, in suum cuiq; territorium competentis, quam superioritatem f. Cti, imperium civile Politici appellant. Quale jus & longa consuetudine & præscriptione acquisitum, existimat Heig. part. II. Math. Stephan. lib. 2. de Juris dict. part. l. c. 7. & qui instar omnium est V Vilh. Anthonii de rescript.

rescript. morat. Illudque finibus territorii coercetur, nec ultra eos pro-
fertur. Henning. Groß. d. s. de rescr. mor. th. 4. In qua parte cum induciis mi-
litaribus, conveniunt, quas pangendi Principibus esse potestatem, nemini, ni-
si in Germaniâ nostra hospiti, obscurum est. Nec modo domi, sed foris quo-
que eas facere ipsis licet per sanct. VVestph. Si enim jus bellandi habent,
quod certè habent, jure pangendarum induciarum fraudari non possunt,
cum hoc illius consequens sit, imo aliquid majus in jure belli, quàm in jure
induciarum appareat. Atqui illud convenire Ordinibus, elucet ex A. B.
cap. 17. §. fin. R. A. zu Speyer de A. 1526. §. zum andern. Sed omnes
constitutiones huc allegare non vacat. Monebimus tamen, si charta spa-
rium finat, hac de re aliquid infra. u) Conventio vel accipitur sub notio-
ne actus, vel ut nomen status est. Placè ut in Philosophia prima Unio, qua
sic dicitur, jam sensu efficientis, jam significatu stantis accipi solet. Par, ut
puto, conventionis ratio est. Quae definitio licet ex causa potissimum ar-
cessatur, tamen hic non tam sub notione causa, quàm sub ratione ejus,
quod ex causa ortum deductum de est, sumitur, id est, quatenus obligatio-
nem ex conventionione natam sensu, ut loquuntur, formali includit. Pactione
dicunt alii, imitati Ciceronem, cum aliis bonis auctoribus in causa feode-
rum hoc vocabulo utentem. Per accuratè alii, statum partium, bello disso-
dentium finiunt, quo pactitia actuum hostilium cessatio inducatur. ¶
Paciscuntur enim Duces belli de his, quae ad militarem administrationem
necessaria fore judicant. Duces vel sunt majestate praediti, vel po-
testate ad res gerendas communicatè utuntur. Illi liberè, hi praescripto
agunt. Is enim qui exequitur mandatum, non debet excedere fines mā-
dati. Instit. de Mand. §. 8. Rursus hac potestas communicata aut suspen-
ditur à Majestate, aut à principis nutu, aut Duci pro renata gerenda
permittitur. Posterius sicut ex usu reipubl. est; ita hodie Batavis usur-
patum laudat c. l. Cl. Boxhorn. in Legatis probat Varsovic. de Leg. & legat.
p. m. 95. Id restringit Nob. D. Leblen, Instruct. fut. Conf. c. 10. Huc conf. auct. de
jur. inter gent. part. I. Sect. 9. Ceterum ob strictiores mandatorum milites
malè vulgò audiunt Hispani. Quo nomine peccasse Ocquendum, classis Hi-
spanica nuper praefectum, nimis apertum est. Cum eo confert Torsten-
sohnium Ern. Gockel. ea re feliciorum, quòd à liberioribus mandatis fue-
rit instructus: de Reg. Eur. cap. 18. de bell. Quae delegata potestas in aliis
quoque hunc recipit favorem, ut duces inferiores dandorum obsidum ha-
beant potestatem, velut rectè annotavit Schilterus de Jur. & Stat. Obsid.
x) Tempus enim pro mutuo paciscentium nutu ac respectu utilitatis, quò
ad se redundaturam provident, jam brevius, iam longius constituitur. y)
Induciarum igitur certitudini ne quid desit, sponsonibus, jurejurando ac
datis obsidibus confirmari solent. Rectè enim Cicero affirmat, majores no-
stros nullū vinculum ad astringendam fidem jurejurando arctius esse vo-
luisse. An vero obsides dati à jurejurando liberent, discussum videas ap-
auct. jur. inter gent. p. m. 447. seqq. z) Inducia enim non finiunt bellum, sed
actus tantum hostiles & praelia suspendunt. Actus inquam hostiles, non
Gerò

Verò actus bellicos: sic refert Beselmeier in Hist. Bell. Magdeburg. p. 1716. Tom. II. eor. qua in imper. Carol. V. inciderunt, cum Magdeburgensibus pactas quidem fuisse inducias; hostem verò à bellicis operibus nunquam abstinuisse. Quod tamen eo valet, si hostis per actus illos bellicos id non consequatur, quod aperto aliàs Marte consecutus erat. Semper enim hic pactorum ratio habenda, curanumque, ut sceleris & perfidia opinio vitetur. aa) Inde colligere liceat, bellum non tam esse romè actus, quàm status. Haud enim est, cur dubitemus, bellum esse posse, etiam si bellantes nullus actus hostiles exerceant, nec pugnas bellicas committant.

§. 6. Haud omiserim, bb) quod Paulus noster paulò aliter inducias describat; id enim inserere non alienum duxi. *Inducia sunt, inquit, cum in breve & presens tempus convenit, ne invicem se laceessant (hostes).* Varro cc) Ciceroni à divino, quo polluit, ingenio, saepe laudatus, nimis, si rectè auguramur, angustè de Induciarum pacto sentit, dum, Agellio teste, pacem castrensem paucorum dierum vocat. Qui alioquin Inducias belli ferias appellat, non eleganter magis, quam nervosè.

bb) ff. de capt. & de postl. l. 19. §. inducia. Quam definitionem explicat & vindicat summus JCtus Magnif. D. D. Ziegl. Patronus, Hospes, Praeceptor perpetuum honorandus disp. de jur. fortalit. fad. induc. th. 29. cc) Nim. I. Acad. Q. affirmat, Varro nem praeter alia omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisse, plurimumque Poetis & Latinis literis luminis attulisse.

§. 7. Etsi verò non ignoro, pleraque hic inveniri, dd) quæ accurati rerum pensitatores exquisitiùs dicta vellent; quia tamen hoc me labore jam olim ee) Agellius levare voluit: Id facere libès inperfedeo: Maximè, quòd sciam, neque commodi multum, & damni nihil per has curas ad rempublicam redundare. Quanquam verò his diutius excutiendis immorari supervacuum puto. Nihilominus, ut conventionem hanc militarem nonnihil accuratiùs persequamur, nostra, opinor, interest, exponere, partim cui originem acceptam ferat, partim quo jure illa recepta sit. Qua ratione fiet, ut fundamenta hujus argumenti à primis principiis paulò aliùs repetamus.

dd) Quare hi auctores excusabuntur, si eorum definitiones non aliter, quam definitiones nominis recipiantur. ee) supra cit. loc. Qui e solvendis nominib9, quàm explicandis imperiorum arcanis intentior fuit.

§. 8. Igitur tempus & ratio instituti nunc me monent, ut de primis quasi natalibus Induciarum dispiciam. Tempus, quo primum coeperunt, vix, certum mihi suppetit. Ante diluvium in usu fuisse, nullo confirmari indicio, nulla evinci ratione solida potest. Nisi tamen Cainitica bella suspicionem præbeant cogitandi, mortalium primos, præliis fatigatos, per Inducias nonnihil respirare, & moram restaurandis viribus interponere voluisse. A diluvio quando primum pacta fuerint, æq; dubito. Quin à Nimrodo ff) & vetustissimarum
B retro

retro gentium bellis repeti earum primordia oporteat, nihil, credo, asserere me vetat. Nec est, cur verear affirmare, ut fœdera reliqua, ita inducias primò omnium apud Hebræos cœpisse. Cæterùm si ad profanos Annales ventum est, *Homerum*, antiquitate cæteris omnibus longè præferendum, meminisse Induciarum, observabis. Herodotus quoque, ille Historicorum parens, ad spem induciarum te incitabit. De Thucydide eò minus dubitandum, quòd ἐνεχαιεῖαν disertè nominat. Quæ verò de Lycaone (aliis Lycanore:) gg) Plinius memorat, fabulis finitima videntur.

ff) *Huc conf. historia Clarissimi D. Præsidis, de Nimrodo. gg) Hic Sid. sepe laudat. Excellent. D. Strauch. Dissert. de Induc. Aliàs multa de Lycaone fabuloso Plinius narrat. Scilicet nullum tam impudens mendacium, ut teste careat, asserente ipso met N. H. l. 8. c. 22.*

§. 9. Originem temporis juris origo excipit. Nos sine ambagibus affirmamus, inducias cum juri gentium, tum æquitati auspicia sua debere. Quæ res, me quidem iudice, confessæ est. Quis enim dubitat, tacitâ inter omnes cordatiores gentes conventionē hh) receptum esse, ut inter ancipites fortunæ casus, funestosq; bellorum exitus & tot ac tam miseranda hominum excidia, ad tempus cessatio à præliis constitutatur, & mora tam capitalibus disfidis aliqua interponatur? Illud quoque hortatur æquitas, ut fortunæ, cujus instabiles vices nemo ignorat, memores simus, & quod jam alii, id brevi timendum nobis sciamus, ut præter Scythas, ii) fortissimus Indiæ rex Porus kk) existimavit, qui Alexandro interroganti, quid ipse victorem se statuere debere censeret, respondit; quod hic tibi dies suadet, quo expertus es, quam caduca felicitas esset.

hh) Scilicet dicitur jus gentium, non quasi re ipsa omnes inter gentes expressa quadam conventionē aut sanctionē actu lata receptum fuerit, sed quod tractu temporis, exigente necessitate publica, omnibus placere visum sit, eandemque ob causam id totius quasi terrarum orbis decretum fuisse existimetur. Nervosè id docet *Juan. de Salas tr. de leg. disp. 2. f. 7. q. 91. tr. 13. & Dom. Soto tr. de just. & m. l. 3. q. 1. a. 3. ii) Curt. VII. 8. 14. 15. & ibid. c. 8. 25. kk) Curt. VIII. 14. 43.*

§. 10. Commodùm hic quoque in mentem venit recordari, quod cultioribus gentibus & recta ratio suggestit, & pietas in suos ll) expresit. *Homerus*, quod nemini hanc materiam tractanti observatum memini, introducit Thetidem, Jovis interpretem, Achilli nuntiantem, iratos sibi Deos esse, ob non redditum Hectoris cadaver, ut cui pro fortitudine & pietate, in patriam multis modis comprobata, iusta persolvenda esse censeant. Quarum exequiarum solennia, uti par fuit, acturis, undecim dierum tempus extrahendum erat. Non abnucebat Archivorum Dux Achilles, ratus, jura naturæ pietatisque officia bellis non esse turbanda, nedum mutanda. Quo nomine ad Priamum mm) dixit. nn)

Exii-

Σχήσω γδ τῶσον πόλεμον χρόνον, ὅσον ἀνάγκη,

Nescio equidem, quid sit inducias pangere, si hoc non sit. Affererat enim copias in castris continere se *oo*) velle, ne hostes exequiis prosequendis intenti, ullum accipiant detrimentum. Nec prius ullum suarum legionum impetum pertimescendum esse, quam tempus, quod Priamus funeri ducendo destinaverit, effluxisset. Ac ne quis fraudi locus esset, dextrā, certitudinis pignus, offert, seque fide interpositā obstringit, nihil damni, nihil doli à suis imminere hostibus debere. Nimirum boni Ducis erat stare pactis, implere promissa, servare æquū, sanctē denique habere omnes latas acceptasque conditiones.

ll) Sic *Cæsar*, de Bell. Civ. l. 2. p. m. 261. Induciarum quoddam genus misericordiā factum memorat. Similiter *Alexander M.* gravissimē dixit, non se adversus calamitates, sed adversus hostium vires contendere. *Curt.* IV. II. 17. Et alibi apud eundem rectē affirmatur, fortunam quemque in consilio habere, cum de aliena deliberat. Nam ut rectē *Alexander* dixit. Nil turo in hoste despicitur. Hinc *Marius* Legatis *Bocchi* inducias postulantis annuis, quas *Sulla* probavit: Cæteri spreverunt, quippe ignari rerum humanarum, qua fluxa & mobiles sapius in adversa mutantur. *Sall.* Bell. Jug. c. 104. p. 366. Et parva saepe scintilla magnum excitavit incendium. *Curt.* VI. 3. II. Ergo semper Princeps cogitet velim, omnia incerta esse, quantoque plus adeptus sit, tanto magis in lubrico se fore. *Tac.* Annal. I. Huc spectat exemplum *Darii*, cuius fortuna etiam humilissimis in ipsum licentiam fecit. *Curt.* III. 13. 7. Nempe verum est illud *Petronij*, rotum mundum facere histrioniam. De quo fatorum ludo vid. *Nobiliss.* & *Incomparab. Casp. Barth.* ad *Stat.* III. Thebaid. p. 179. *mm*) *Ilis.* ad. Ω. p. m. 884, ex recensione summi *Giphani.* *nn*) Latine habet: Tenebo enim tanto bellum tempore, quanto jubes. *oo*) Hinc ait *λαόν ἐρύχω*, significantissimo ceriē vocabulo.

§. II. Huic penē simile illud ex recenti historia est, quod cum nuper *Serenissimi* ad Septentrionem Reges, *Daniæ* & *Sveciæ*, armis cōtenderent, altero vitā functo, alter generosæ pietatis stimulo incitatus, cum belli jure uti potuisset, ab armorum usu conquieverit, ut velut in domestico luctu consentire videretur ad inducias. *pp*) Omnino huc spectat *Germanici* exemplum, quo fraude *Plancinæ* & *Pisonis* *qq*) per venenū sublato, barbari hostes, quasi pacti *rr*) inducias, ab armis cesarunt, & famā reverentiæque tanti hosti ac tam gloriosi victoris commoveri se, haud obscuris indiciis significarunt.

pp) *Olliequist.* in *hist. Carol. Gustav.* Ubi exemplum apud *Svetonium* in *Caligul.* adductum, iisdem propē auctoris verbis laudatissima imitatione expressit. *qq*) Ipse testatur *Germanicus* apud *Tac.* *Annal.* 2. Nunc scelere, inquit, *Pisonis* & *Plancina* interceptus, ultimas procer pectoribus vestris relinquo. *rr*) *Sveton.* in *Caligul.* V. 5. affirmans, Barbaros, quibus intestinum adversus se bellum fuerit, veluti in domestico somniquē

mærore consensisse ad inducias. Huc referas exempl. Atheniens. & Lacedam. apud Thucyd. l. IV. p. 162. de B. P. ex Verf. Laurent. Vall. edit. Basil.

§. 12. Nec difficile est, pluribus exemplis Induciarum confirmare utilitatem. Omnium, quoad nobis judicare licet, pulcherrimum est, quod Thucydides noster literis mandavit. Ubi legas licet, Athenienses cum Lacedæmoniis annuas inducias *ss)* pepigisse. Formula induciarum apud eundem extat, quæ ut eo tempore magnum ad Remp. Atticam momentum afferre credebantur, *tt)* ita tabulis publicis inferebantur, ex quibus eas coram populo Laches recitabat. Populo placebant: Lacedæmonii, nil quod justum erat, recusabant. Pactorum auctores ab Atheniensibus missi erant, Nicostratus, Nicias, Autocles, militiæ duces: A Lacedæmoniis Taurus, Athenæus, Philocharidas. Ut de horum sociis, Corinthiis, Megarensibus, Sicyoniis & Epidauriis nil addamus. Atheniensium denique legati pacta magnâ animi religione servaturos, & de quibus inter ipsos convenisset, placitis ad annum usque stare paratos, apud populum spondebant. *uu)* Sed Cæsar quoque, cujus præter cæteras Imperatorias virtutes, & egregia semper in bello opera eluxit, & admirandus in consiliis successus fuit, testimonia reliquit induciarum, sed non æque religiosè servatarum, quàm initarum. Tanta nempe in hac parte circumspeditione opus est, quantum violatæ pactionis damnum æstimari potest. Certè Trebonius, cui belli curam delegaverat Cæsar, nimium fidei hostium confusus, inducias per scelus violatas, serò magna suarum rerum jacturâ didicit. *vv)*

ss) l. 4. bell. Pelop. p. 191. Nec minus pulchrum Induciarum pactionum exemplum occurrit eod. libr. p. 153. Ubi & elegantissimam Lacedæmoniorum ad Athenienses orationem invenire licet. *tt)* Dicitur enim illic loci, quod faustum sit Atheniensibus, inducias fieri. *uu)* Ex his iterum inferimus, minus consultum esse ut Principes vel summi duces ipsi conveniant ad ineundas inducias. Præstat enim mitti legatos, partim propter periculum, quod subit Princeps, caput rerum deserendo, & se dando in casum; partim ideò, quod compertum est, parum sæpe fructuosos Principum congressus fuisse. Ut planè singulare sit unius aut alterius exemplum, quod bene cecidisse recordamur. Quo nomine jam succurrit Dignus Fridericus I. Serenissimus quondam Saxonie Dux, ac Sacratissimi Imperii Elector, qui cum per internuncios non posset, præsens cum fratre VVilhelmo pacem fecit, ut præter alios refert Piccol. Senens. Europ. Stat. sub Frid. Imper. Huc spectat exemplum Henrici Aucupis, & Ducis Bavaria Arnolphi Mali, ap. Sleidan. p. 225. de Monarch. *vv)* l. 2. de Bell. Civ. Idem l. 3. de B. C.

§. 13. Eodem pertinet, quod Libo & Bibulus à Cæsare postularint inducias & impetraverint, ut ire tuto & redire liceret, ne alter alteri damni quicquam inferret. *xx)* Tissaphernes ab Agesilao, cui summam rerum Lacedæmonii permiserant, trimestres inducias petens, adeò non repulsam tulit, ut uterq; etiam magna fide se conservaturum, jura-

juraret; Sed interea Tissaphernes, ut hominum mores sunt, tempus
yy) atq; occasionem doli quaesierat, stante nihilominus pactis Agefi-
lao, ut testis est Corn. Nep. Scriptor gravissimus.

xx) In Agefil. XVII. 2. Hinc constat, induciis jurato initis non sem-
per esse fidendum: quod pertinet illud Euripidis: Jura & lingua, mentem
injuratam gero. Ad quod conf. Cic. l. 3. de Offic. Alis, quod hic subindicasse
non alienum fuerit, eo nomine formulas fiduciaras & literas fidei publi-
ca, aut solemnium conventionum tabulas solent exarari, quas nec ambigere scri-
bi, nec fallacium dubiarumq; conditionum plenas esse oportet: id nisi fiat,
amabile fiducia exuent nomen. Qua de re vid. Dissert. Praef. de Foeder.
ad Herodot. instituit. yy) Eodem ferme modo, quo Cnaeus Pompejus ita
se dubium semper praestitit, ut temporibus insidiari videretur, ut Vellejus lo-
qui amat Hist. II. Qui tamen ut calliditate Caesaris postea deceptus fuerit,
annotavit Boecl. ad Vell. Nam cum ille bello Piratico, & sanctione Legis
Manilia potentiam sibi afferuisset, Caesar per concordia & affinitatis speci-
em illi imposuit, ut alibi dixit Praef. Nec facile dixerim, an hac arte
quisquam Philippum, Alcibiadem, aut Eumenem antecelluerit, de quibus
olim disquirendi occasio dabitur.

§. 14. Neque silentio praetereunda, quas Cicero 22) allegat,
inducias, ubi cum hostis triginta dierum inducias fecisset, noctu agros
vastat, speciosum fraudi titulum praferens, quod non ut dierum, ita
noctium pepigisset iuducias. Sed quis nescit optimarum rerum abu-
sus pessimos? Ut recte dixerit Suffetius Albanus, invictas hostium vi-
res & fortunam non vi, sed iis artibus, quibus imprudentia fallitur,
ac dolis & fraudibus facillime everti. aaa) Haec eod dico, ut intelliga-
tur, imprudentibus nihil bonum, nihil salutare esse, quod bene parta
curis atque consiliis retinere nesciant. bbb)

22) l. 1. de offic. p. m. 469. aaa) Dionys. Rom. antiq. II. bbb) Opti-
me igitur Machiavell. l. 3. Hist. Florent. Fortuna, inquit, malignitas pru-
dentia superari potest.

§. 15. Quanquam igitur inducias male saepe cecidisse non igno-
ro, ob eam tamen causam minimè negligendas svaserim. Si verò nul-
lius rei, saltem pacis ineundae spem praebent. Libo certè inducias pe-
pigit, ut de compositione acturus videretur. ccc) Similiter Thucydides
refert, pactis inter Athenienses & Lacedaemonios induciis, utrosque
in spem pacis & foederum venisse. Quod pertinet, quod Halicarnasse-
us ddd) jam olim fidem fecit, Sabinos & Romanos, pangendo inducias,
eod devenisse, ut foedere paulò post coirent, & mutuis conditionibus
jurejurando confirmatis amicitiam stabilirent. Imò fuisse legas, qui
cum inducias inirent, pacis sensisse fructus mihi sunt visi. Ita Volsini-
enses inducias annorum quadraginta pepigerunt. eee) Veientes fff) eti-
am centum annorum inducias impetrarunt, quas dulce pacis nomen
ggg) pra se tulisse, non immeritò putabis, si temporis quidem diutur-

nitatem æstimaveris. Idem postquam violassent Inducias cum Romulo initas, bello ad obsequia pristina redacti, inducias quadraginta annis duraturas, denuò petitem venerunt. Tali quoque modo populum Cæritis *hhh*) inducias centum annorum fecisse, annalium monumentis mandatum accepimus. Longè plura recenseremus, nisi longum nimis videretur. Unum adhuc tamen hoc loco memorare juvabit, quod eò illustrius fore æstimamus, quòd ex serenissimâ Saxonum familiâ, cujus arcana, & innumeri pro Teutonum Rep. suscepti labores, & salulares ultro citroque habitæ consultationes, abditique tantorum Principum sensus, æternam fore Saxonix felicitatem hodieque spondent, desumptum est. Nimirum Divus Johannes Fridericus, ille religiosissimus Principum *iii*) priori ab hinc seculo quatuordecim dierum inducias concedi sibi postulavit, ut cum Principibus Germanix de conditionibus pacis consultaret. *kkk*) Sed in promptu quoque est exemplum Divi nostri Joh. Georgii I. quo animosiorum inter Principes, gloriosiorum inter Heroas, constantiorum inter adversa, ac diviniorum Sacrorum vindicem Germania non vidit, cujusque multorum bellorum experienciâ firmatus animus, plurimis superiori tempore argumentis declaravit, tantam sibi fuisse vim ad vindicandas Augusti Imperii laudes, quantam ne verbis quidem exprimi posse speres, ut qui cæpatrix & toti Germanix præstiterit, quæ alii ne votis quidem conceperant. *lll*) Sic aliò reservamus recentiora induciarum exempla, qualia in actis Belgarum occurrunt, qui anno 1609. cum Rege Hispanix duodecim annorum inducias fecerunt *mmm*) internuncio Patre Johanne Nev. *nnn*) Nec finit brevitatis, ut pactas sæpe cum Ungaris ac Transylvanis inducias latius referamus. Saltem hic dolemus, nimium sæpe temporis Turcarum Imperatoribus, inducias petentibus indulgeri. Id quod olim Oratorem Regis Polonix, ad Maximilianum Cæsarem missum, observasse memini, qui affirmat, Turcas inducias postulare longiores, ut arma in unum Principem convertendo, majore impetu grassari possint, cæ ratione, si occasio suppetat, reliquos quoque Principes oppressuri. *ooo*) Sanè nemo hodie dubitat, Turcam cum Invictissimo Cæs. Leopoldo nostro inducias pepigisse, ut fortius premeret Venetos; cui rei argumèto est *Candia*, quæ tot Turcarum impetus hactenus sustinuit, ut penè sub onere tanto fatiscat. Id enim lex prudentiæ requirit, ut induciis cum hoste initis, bellum aliò transferatur, & hostis, qui securum se putat, per latus petatur. *ppp*) Quod Svecis observatum recordor, qui superiori tempore inducias cum Rege Polonix initas prorogârunt, ut tantò potentius iis, quos hostes judicaverant, imminerent. *qqq*) Philippus Macedo *rrr*) id ad eò non ignoravit, ut quædam bella, ipactione interpositâ, componeret, ut alios faciliùs aggredereetur, & gloriosius vinceret.

ccc) *Cæsar* l. 3. cit. sup. loc. *ddd*) *Il. 5. Rom. Antiq.* *eee*) *Ls. V. 32. ex recens. Cl. Gronov. fff*) *Id. l. 15. Dionys. 11. 6. qui affirmat, conditiones in ita hu-*

ius in centum annos pacationis, auctoritate publica, in columna incisus fuisse.
ggg) Inducias has vulgò Trengas appellare solent; eaque ut instar pacis
habentur, ita multo maiori periculo violantur. Fortasse hic nō ineptè
distinguas inter inducias longiores, & longissimas. Illæ paci similes, nō
cum pace eadem sunt. Longissima parum à pace distant, quales sunt
istæ 100. annorum. Eodem modo inducias licebit dicere, brevissimas,
quæ in dies aliquot: breviores, quæ in septimanam; breves, quæ in an-
num, aut, quod non nimis excedit, spatium panguntur. hhh) Lix. VII.
20. 111) Conf. quæ de hoc Magnanimo Principe alibi ad Romul. D. Præses
dixit. kkk) Tom. III. Hist. cor. quæ incid. in Imp. Ferd. 1. p. 2283. ll) imit.
Vellej. l. 2. Ubi de Augusto Imperat. loquitur, cujus laudes aliquis Ritters-
busius, aut Buchnerus melius exponat, atque ego. Illius speculum Principis,
civiliter boni, ad Sereniss. El. nostrum Joh. Georg. 1. anno 1612. scriptum; hu-
jus panegyricus, qualis fuerit, testatum faciet. Sed non opus est Verbis, ubi
rerum testimonia, facinora, Victoria in promptu sunt, itaque latius perse-
quetur D. Præses in Historia Saxonum. Interim conf. de ej. induc ali-
quid infra. mmm) Linck. in Chronol. & Summi ingenii Vir, meritorumq; in
Republicam literariam nomine laudatissimus D. D. Egid Strauch. in cō-
pend. hist. Sleidan. p. 232. Talium quoque exempla in historia Polonica sup-
petunt. Unum dabitur ex Mart. Cromer. Rer. Pol. Tom. II. p. 639. edit. Ba-
sil. qui induciarum cum Ducibus Silesiæ Heinricho Glogoviensi, Stinaoviensi
& Conrado secundo Olesnicensi & Cosensi pactarum meminit. Conditio,
quam ferebat, hac erat, ut prædicti Duces Galisiam venirent ad Regem, cū
eo de exortis litibus damnisque datis transacturi. Sed de his inducis con-
ditionalibus agemus infra. Alias belli Pruisici inducias memorat Luc.
de Linda, vel ideo minime obliuiscendas, quod æterna eas pax exceperit.
pag. m. 953. in Ser. Reg. Polon. quod postremo exempl. conf. cum ccc). Ut ali-
os aliarum induciarum scriptores consulto prætereamus: Si solum memo-
rauerimus Joh. Meursium, qui de Induciis libros prudentia referatissimos
conscripsit, de quo præclare judicantem videas Celeberr. Conring. de civil.
prud. cap. 14. p. 232. nnn) Hanc enim Hispanorum esse artem, ut per
religiosos interpretes cum exteris agant, vel quod is specie pietatis præ re-
liquis arcana tegere, vel sumptibus parcius uti possint, jam diu exploratum
est. Huc conf. auct. de Judic. inter gent. P. II p. 236. Sic ut paulò diversa
componamus, non ita pridem Serenissimus Rex Gallia legationem feciale
mandavit Archiepiscopo Ambrunnensi, qui summa pietatis obtentu pro-
fiteretur, se, si per justitiam & legitimas Regis sui prætensiones liceat, pati
esse cupidissimum, causatus etiam, si fas esset, se sanguine suo superfuso al-
tari (im. Vellej. II. de Cinna loquentis) in quo sibi à Deo pacis auctore cha-
racter pacis & concordia sit impressus, spiritum malle reddere, quàm bel-
li materiam alere. Nescio verò, an falli Lipsium hic oporteat, cum Solem
quempiam ab occidente surgentem præ sagire ausus fuit. De Constant. l. 16.
Sed id hoc loco alienum est; videamus igitur de sacerdotum in sapiendis
seditio-

seditionibus utilitate. Verum de eâ differuit im Hoff Singul. Polit. R. S. XV. huc conf. Gockel. Cap. XX. de Legat. p. 918. Quo etiam pertinet, ipsum inVictissimæ Imperatoris nostri Leopoldi exemplum, nuper Archiepiscopus Saltsburgensem principalem commissorum curatorem in Comitibus Ratisponensibus designantis. Ceteroquin id eò trahi non debet, ut Clerici ac præfules sibi in res seculi, aut potestates civiles jus quoddam arrogent. Huc Conf. E. Gock. c. 19. de pac. Id jam olim Illustrissimo Hassiæ Landgrævio VVilhelmo observatum esse, documento epistola est, ad Ser. Sax. El. data, qua extat ap. Thuan. l. 76. quò conf. Polyhistor sine exemplo maximus Jo. Andr. Bos. in Ex. Histor. de Pontif. Max. Ro. Vet. c. 4. th. 7. Meliores his fuerunt Veterum nullo revelati Dei sensu imbutorum Pontifices, qui privati semper, nunquam in imperio fuerunt. 000) Tom. II. Germ. rer. à Nob. Marq. Freh. 235. Huc conf. Cl. Forstner. Not. Polit. ad Corn. Tacit. p. 88. Venetis tamen ex alia causa fœdera & pacem cum Turcis inita salutaria esse, idem rectè docet in Omis. lib. sing. pag. 28. 29. Eò spectant, quæ Renat. de Lusin-gâ hac de materia nuper utilisimè differuit. ppp) Hoc Hispanis usu probatum esse refert Boxhorn. Inst. Polit. quarum limatiorem curam G. Hornio, doctiss. Polyhistori debemus. qqq) Auct. epi. rer. Germ. ad ann. 1635. rrr) Justin. l. VII. 6.

§. 17. Quamobrem facilè est colligere, in pangendis induciis cauto opus esse maximè, ut legi prudentiæ cedat lex humanitatis, sss) prudentiæ rrr) serviant arcana dominationis; hæc suffulciat lex justitiæ, uuu) justitiam temperet respectus publicæ utilitatis, publicam denique utilitatem nihil vincere audeat. Qui igitur injusta bella, conflagrant, bello ut subigantur, meruisse se, admonendi sunt. Cum, qui semel nocuerit, semper, si data occasio fuerit, nocere velle intelligatur. Tum verò præstat cautè injuriam vitare, quàm per nimiam lenitatem accipere, & spe impunitatis fraudes ac malitiam quorundam fovere. Certè nusquam tuta est fides, pactorumq; religio ad eò hodiernis moribus exolevit, ut, ni exempla justitiæ legem misericordiæ ponant, vix avaritia cohiberi, aut iniqua bella possint competti. vv vv vv)

sss) Humanitatis est nihil denegare petentibus, & tamen aliquando utile est, aut nullius rei facere copiam, aut excindere plerumque gentes, aut earum libertatem penitus opprimere. Quo conf. præf. lib. singular. de Vet. Germ. præfens. Ut maximè igitur graviter differat Freinsheim. nec vincula humanitatis nec fas natura rumpendum, nec Dei in hac parte decreta violanda esse; tamen id & prudentiam poscere & cautionem exigere videtur. Immutata equidem Dei sunt decreta, si decreta sunt, si decreta animo rectè metimur, si accuratè assequimur, si denique decreta in patrocinium injustitiæ non fingimus. Est sibi Deus lex, & nobis regula, gentes, si à sacris ipsius institutis & religione pactorum abhorruerint, aut supplicis, aut excidiis ulturus. Similiter sanctum natura fas est. Sed non committendum est, ut per

ut per fas decipiamur. Multi juri nomen laudant, multi fas appellant, ut rem eò magis detestentur. Tum vero nec uno se habet modo illud fas, quod vel precipiendi, vel permittendi nomine se offert. Quod si confundas, cælum terra miscebis. Sed & multum damus humanitati, dum modo & nol is expediat, & non pingat fucata quâdam specie crudelitatem. Nam ut fides multi dant, pauci seruant, ita & humanitatem plurimi promittunt, qui sibi quaestiosa, aliis exitiosa consilia agitant. Erit inter exempla Cromwellus, qui cum mitissimi Regis Caroli I. subvertendi causas quæretet, preces pro salute & felicitate ejus allegare non erubuit parricida pessimus, & fortunâ melior, quam jure. Vid. Bateus el. mor. nuper in Angl. part. I. & Peller. pol. scelerat. cap. 9. Addit. Scilicet premere infesti iudicia animi, eorum inter machinationes præcipua ars est, qui & incantos opprimere, & innocentes e medio tollere student. Huc pertinet illa J. h. Baptista Lencæi observat. Polit. qua II. Forstnero ansam optimi consilii iudicique dedit. Ut proinde nisi prudentia omnibus rebus intersit, non facile inter bona & mala distingvas, nec quæ recta sunt, rectè exequaris. III) Rectè hoc monuit Vercingetorix ap. Cas. prodesse aliquando affirmans, si summa diligentia & prudentia summa imperii severitas addatur. IV) Rectè in hanc rem sensit Craterus apud Curt. VI. quando sciasit, magna facinora ausis (maximum vero facinorum est, injusta bella movere) veniâ non posse muari, quique misericordiam consumpserint, amplius sperare non posse. &&&& Hanc ob causam Pop. Romanus vel minimam bellandi occasionem adeptus, non prius ab armis destitit, quam hostis vires omni ex parte prostravisset. Exemplum Perseus exhibet, in quo III. Monarchia spiritum, quem in Alex. M. acceperat, misere reddidit. De quo Sic. libr. Præsens. Imp. Illustrium Præsid.

§. 17. Verum ratio iterum hic, quæ agas, definiat, oportet. Cum enim sæpe accidat, ut, qui sperare nihil possunt, rerum molem, cui impares sunt, fato permittant, ac per ignes ferrumque id petant, quod precibus non possunt (quandoquidem desperatio magnum sæpè ad honestè moriendum incitamentum fuit xxx) consultum esse judicamus, ut Princeps salutem Reipublicæ tueatur, jam ut prudens, ne dolis circumveniat; jam ut fortis, ne bellorum pro Republ. gerendorum pericula extimescat. Tum efficiat, ut non magis sit misericors, quam justus, recordatus, imperia primùm armis quaesita, armis tenenda esse. yyy.) Igitur pro re nata utile fuerit, nec planè inducias negare, nec tamen concedere, ut longiores sint, ne hostis tantâ libertate abutatur. Sanè Batavi hodieque ignavas Iuduciarum moras detestantur, & se nimis fuisse liberales, queruntur, serò expedientes, breviori temporis spatio initam illam cum Rege Hispaniarum pactiorem circumscribendam fuisse. zzz) Nec Turcæ aaaa) alio consilio sua moderantur arcana, optimè sibi conscii, continua bella etiam timidis animum addere, paulò verò intermissa, & induciis quasi interrupta, ut generosi quoque

C

ani-

animorum impetus relangvescant, facile efficere. Nec falli eos, tristis sæpe experientia non sine magno omnium dolore approbavit. Est igitur certum Induciis tempus constituendum, sed non nimis longum, ne hosti opportunum, nobis inutile atque exitiosum fiat. Utendum enim est fortunâ, cum indulget, nec ad nutum labefactari hostis, cursus victoriæ abrumpendus. Hæ igitur partes Principi à Deo Immortali datæ sunt, ut timeat: hoc decus accepit, ut caveat, ut defendat: hanc spartam ornet: hanc dignitatem tueatur. Et erit mihi P R I N C E P S. bbbb)

xxx) Sic Casar magis consuetudine quam hostium merito benevolentium se exhibuit. l. 2. de Bell. Gall. Scilicet rectè olim Philippus dixit, spem gratia citò abrumpere, ad bellum civile properantium esse. Curt. X. xxx) Hanc ob causam Vellejus Pansa & Hirtii consilia laudavit, quod ita suassisset Gajo Casari l. 2. hist. Eodemque modo Augustus, temporum callidissimus, Mæcenatis consilium probare maluit, quàm Agrippa, quorum ille Principatum armis partum retinendum; hic Po: Romano reddendum esse censuerat. Conf. Stirn. tit. 3. de Leg. Reg. Nomoth. 222) Forstner, hanc ob causam, persto, inquit, firmus in eo, plus Hispania Regem contra fœderatos Batavos duodecennialibus induciis, quàm quadraginta annorum bellis profecisse. Omiss. ad Tac. lib. sing. p. 8. Et rectè non nemo apud Abrah. Goltitz. Geogr. p. 195. ait. Nocuere olim nimis (Batavis) ignava induciarum mora, & quantum nocuerint, sensere, ut nunc detestentur. Consentit Summus Orator Batavus, dum ait, continuum Bataavorum cum Hispani Bellum duodecim annorum otio semel malè dilatatum fuisse, ut majus & atrocius resurgeret. Orat. V. de Belg. pace. conf. id. disq. Polit. cas. 4. & Trut. Stal. Europ. ubi pleraque ad hoc institutum attinentia inveniat. aaaa) Forstn. Polit. ad Tacit. p. 38. Hinc rectè Campanella, Magnum, inquit, prudentia argumentum est, vicinos in armis non diu detinere, ne exercitati & strenui evadant. Id observari, fortasse profuisset Septentrioni. De Monarch. Hisp. c. 27. Nec à Rege prudente alienum est, ut moram subinde magis, quàm bellum metuat, ut bene ex Liv. cit. Lips. l. 6. c. 7. p. bbbb) Nempe Magnatum hic Symbolum sit: Fallimur opinione. Quod exposuimus in exercitat. Moral. ad Saaved. Symb. Polit. 46.

§. 18. Nunc demùm idoneum mihi visum est explicare, qua curâ atque circumspectione salutares induciarum leges rectè incantur. Ubi quidem optandum nobis esset, ut tantum spatii suppeteret, quantum argumenti. Nihilominus, ut eo, quo cœpimus, transcursu omnia exponamus; ex aliis necessarium ducimus, ut nullæ pangantur induciæ, nisi evidens nostrarum partium utilitas subesse deprehendatur. Dehinc maturè caveatur, ne inducias petens, specie amicitia dolos intendat, aut prætextu calamitatis, causas opprimendi commiscatur. Si liceret exemplis rursus institutum interpellare, ostenderemus facile plures fuisse, quibus nulla religio fuit, fœdera milita-

ria

ria utilitate, non fide sancire. Talis perfidiæ damnati sunt Massilien-
ses, cccc) qui induciis per scelus violatis, Romanorum pietati illuse-
rant. Nec melior Vejentium dddd) fides fuit, quibus jusjurandū, quo
Romulo obstricti fuerant, adeo non fuit curæ, ut eo etiam fraudes at-
que scelus tegere non erubescerent. Sed nemo erit, quem fugiat bar-
baræ perfidiæ exemplum. Nam tamen Turca superiori tempore indu-
cias cum Hungaris ad annum usque 1662. duraturas pepigerat, tamen
eas contra conventorū fidem, & contra ipsum fas gentium, impia le-
vitate rescidit, & quam sanctè pactiones habeat, nimis manifestum do-
cumentum posteris dedit, & qua cautione Sacratiss. Imperatori no-
stro Leopoldo in hac parte opus sit, admonuit, quem anno 1664. novas
cum Mahumete IV. fecisse inducias accepimus.

cccc) *Cas. l. i. B. Gall. dddd) Dionys. & Liv. sup. cit. loc.*

§. 19. Tum verò expendatur, an pactis induciis, hostis ad pristinam
redire potentiam possit. eeee) Huc pertinet, ut non modo jurejuran-
do hostium fides devinciatur, sed obsides etiam postulentur, & finiti-
mi ffff) per quos ut plurimum conciliari fœdera solent, fide in suam in-
terponere jubeantur. Ad hæc eorum, qui inducias pangunt, salutem,
publicæ fidei diplomate, gggg) aut codicillis ac tabulis ad eam rem fa-
ctis caveatur. Nec omiserim id Principi meo semper in aurem dicere:
nemini ad desperationem dandam esse occasionem. Nam & hæc pes-
simis sæpe initium fuit salutis, & majoris spei occasio, & multos ad res
impiè audendas stimulavit. Qui enim nihil potest sperare, desperat
nihil, ex mente Veteris Tragœdi. Proinde mirari subit Romanos,
præ cæteris gnaros, quando aut arma capeffenda, aut intermittenda es-
sent. Nec diffiteri hoc potuit Asdrubal, qui eos plus parcendo victis,
quàm vincendo, imperium auxisse affirmavit. hhhh) Eopse tamen no-
lim inducias utilitati hostium servire, monuisse contentus, rationibus,
quas prudentia suggererit, omnia hæc esse definienda, ut ne quid ni-
mis fiat, aut parum. Multo minus negligendum est, ut, simulatque de
Induciis conventum est, eo majori curâ de acriter mox instaurando bel-
lo cogitetur, & militi de comœatu, misilibus, tormentis & pyrio
pulvere abundè provideatur. iiiii) Præterea in eo elaborandum, ut ho-
stibus tuto quidem eundi & redeundi potestas concedatur, kkkk) sed
eâ lege, ut nec in castra, nec in munitissimas Urbes admittantur. E-
nimverò prodita legas exempla eorum, qui sancto Induciarum jure
abusi, hostes spe securitatis deceptos immane quantum ludificati sunt.
Id cum Selgenses, ut par erat, non observarent, parum ab exitio ab-
fuerunt. llll) Illud quoque ex Annalibus Teutonicis superiorum tem-
porum constat, equites Cataphractos Gongazæ, Ducis Navarrensis,
præsidia in oppido Charitum disposita, per speciem nescio cujus
benevolentia oppressisse. mmmm) Nec dubitavit Philippus prætextu
induciarum hostis consilia eludere, & speciosum fraudibus titulū præ-
ferre,

ferre, curam militum sepeliendorum, ut aufugiendi caperet occasionē.
nnnn) Propria verò hæc Romanorum laus fuit, quibus pacta etiam
cum Barbaris inita oooo) sancta semper fuisse, animadvertamus licet.
Proinde etiam factis cum Porfenna induciis, hostes ad ludos Circen-
ses in urbem admiserunt. pppp) Sed neque hic alienum foret, edisse-
re, quomodo inducias petentibus certæ sint ferendæ conditiones. Id
præ reliquis fœderatis Bataviæ ordinibus observatum est, qui prius de
induciis agere noluerunt, quàm Rex Hispaniæ & Archiduces Austriæ
juri suo, quod in eos prætendebant, renunciassent. qqqq) Imò & cu-
ræ esse debet, inducias concessuris, ut vel pecuniâ ab hostibus redi-
mantur, vel certa earundem arrha constituatur, ne temerè beneficium
tribuisse videamur. Quanto enim id usui sit, vel ipsis Turcis jam diu
compertum est. rrrr)

eeee) Quo quidem casu aut extremis malis extrema remedia ad-
hibenda, aut inducia exigui temporis, quò hostis vix habeat facultatem
colligendi vires, sunt concedenda, ffff) Cum enim ex dignitate belligeran-
tium sit, per alios inducias conciliari, ut fama, cujus magnum in bello mo-
mentum est, utrinque sibi consulant, ac neuter eorum tam expetisse in-
ducias, quam consensisse in eas videatur. Justum est, eorum interponi fidem,
qui hanc sibi delegari curam passi sunt. gggg) Tales fidei publicæ tabulas
supra dedimus ex Thucyd. & Scriptor. German. hhhh) Li. XXX. 42. Hinc
peccavit Froto, Rex Daniæ, quem Inducias contra jus fasque simpliciter
abnuisse, refert Crantzius. iii) Rectè Boxhorn. noster ait, fœdera mili-
taria non aliter, ac bella, debere estimari, quia per fœdera hostes in se
grasentur, licet sine armis. kkkk) Vulgò commeatus dicitur, quo sensu et-
iam Justinus & boni auctores hac voce uti consueverunt. Estque li-
centia ad tutò eundem & redeundum certis personis concessa. Eam ob cau-
sam jus commeatus semel concessum exigit, ut præstentur itinerum da-
mna. Id enim fieri debere jus gentium dicit, ratio sana suggerit, jubet
necessitas, populorum denique cordatorum mores confirmant. Huc perti-
nent literæ commeatus, (illustris Gisbertus de Vit. in Orat. ad Viduam
Jan. IV. Regis Lusitaniæ habit. Syngraphum liberi abitus dixit elegantis-
simè,) quarum jure denegarum exemplum in Rege Daniæ reperias, qui
tales legatis Pii IV. Pontificis ideò non concessit, quod ab ipso nec auditus
nec conditus, pro hæretico haberetur. Stirn. Nomothet. tit. XII. (llll). Po-
lyb. V. mmmm) Tom. 3. rer. gest. sub imp. Maximilian. p. m. 2526. nnnn)
Li. XXXI. 28. oooo) Hujus rei exemplum præbuit Josua, qui & si totum
reipubl. Israeliiticæ Dei præcepto se dederat, tamen ut fœdus cum Gaba-
onitis ictum rumperet, nec verbis commoderi speciosis, nec ulla persuade-
ri ratione potuit. Huc conf. cap. Jos. IX. pppp) Eoque ludicro Circensi eò
impensius duces & juvenes delectabantur, quòd ad usum belli tractu tem-
porum verteretur. Li. XLIV. 9. qqqq) Huc spectant, quæ differit auct. de
jud. inter Gent. part. 2. f. 7. 7. rrrr) Sic Legatus Turc. Imperatoris à Ma-
ximi-

Maximiliano flagitavit, ut pro arrha induciarum quotannis tricena millia solidorum (ducatorum) penderet. Tom. III. eorum qua incid. in gubernati. Ferdinand. l. j. 2090.

CAPUT II.

§. 1. Superfunt monita quædam, nec inutilia, & præfenti loco peropportuna, vel eam ob causam dictis subjungenda, quod aut ad superiorum explicationem pertinere, aut prudentiæ civilis interesse nobis videantur. Ubi omnium primò venire in disquisitionem posset; an, dum de pangendis induciis agitur, omnes bellorum actus simpliciter intermittere sit consultum, ut tanto facilius salubri huic pacto præparentur dissidentium animi? Autor Secretorum, quæ vocat. Ottomannicorum, a) hoc suadebit omninò, qui inter causas belli cum Turcis continuati id refert, quod Maximilianus per illud tempus, quo de pace componenda tractatum fuerat, Albam Regalem insidiis occupasset, cum iis rebus factum fuerit, ut Turca ne audire quidem ulla faciendæ pacis consilia voluerit. Verum in hac causa aliter de jure, ac de prudentiæ lege, erit existimandum. Multa facere per fas gentium licet, quæ facere, prudentiæ vetant præcepta. Notum alioqui publicè est, Batavos b) nuper summo belli jure Classem Britannicam tunc afflixisse maximè, cum Bredam convenissent Legati de pace revocanda acturi. Rectè Summus Boxhornius, c) Ante initum, inquit, fœdus hostilia consilia esse debent; post initum amica conspiratio. Enimverò quamdiu nondum facta pactio est, tamdiu id integrum erit; cum nisi hæc præcesserit, nulla contrahi obligatio, nulla injici animo religio, nullum connecti juris vinculum possit, quod te vel adstringat, vel intra certos limites, quales conventorum sunt, coërceat. Cautò ergò hic opus est. Quanquam belli fortuna attrito id vix svaserim, nisi evidens appareat utilitas, qua ita pristina sarcire damna, acceptasque pensare clades possit, ut induciis supersedere in posterum liceat. Illi verò cui prosperè bellum cessit, eò hoc facere consultius est, quòd victorias continuare, nullum jus armorum, nullum fas gentium, nulla pietas prohibeat.

a) cap. 68. edit. anno 1620. lingua vernacula. b) Id & publica acta non ita pridem, & novi Belgarum annales dilucidè testantur. Britanni enim cum Belgas pacis avidissimos esse cognovissent, nil ab eis periculi imminere posse, justo confidentius censuerant. Sed dum ita seu incauti, si ve securi agunt, magnam & classis suæ & existimationis publicæ jacturam faciunt, posteris documento futuri, nunquam magis sollicitum requiri partium dissidentium animum, quam cum de componendis bellorum dissidiis laboratur. c) Inst. Polit. l. 1. cap. 13.

§. 2. His consequens est, ut pacturos inducias moneamus, ad vires hostiù advertant animum, consideraturi, quantum ab illis sibi sit timendum. Nam tametsi neminem lateat, inducias jure gentium concedi,

cedi, quòd & bella gerentium utilitati interserviant, & ratione naturali niranur, & tacita cultiorum gentium consensione approbatæ esse intelligantur. d) Tamen accidere potest, ut quemadmodum circumstantiæ & rerum agendarum occasiones variant, ita non cuivis concedi induciæ debeant. Quid igitur, quæso, superiori tempore adegit Batavos, ut cum Hispanis in inducias consentirent? Sanè jus gentium ut cum jure imperii concilietur, alterum cedere alteri debet. Facile autem augurari Batavis licebat, hostes per otia induciarum & collecturos magis vires, & iis elapsis, acrius instauraturos esse bellum. Non dicam, quomodo expeditionis Indiæ per id tempus stiterint cursum, & in discrimina certè inciderint plurima. Subit hic recordari consilii à Rege Galliæ hoc anno suscepti, inducias, quas Hispani petebant, nec simpliciter repudiaturo, nec tamen sine cautione recepturo. Nimirum Christianissimi Regis arcanum erat, priùs non admittere inducias, quàm Hispani fidem dedissent, injustam & sibi honorificam, & à postulatis non omninò alienam pacem consensuros. e). Rectè prudentiæ consultissimus Boxhornius svadet, inducias facturum intelligere debere, & quantum differat sibi, & quantum interea temporis hostis possit exequi. Omnes, inquit, inturæ induciæ sunt, post quas denuò & atrocius exoritur bellum, cum belli tantum sint meditantia. Intempestivæ etiam induciæ illis gentibus sunt, quæ hactenus felices, earum ratione suæ, tantum cursum sistunt felicitatis f.) Nec tamen negaverim, sæpe quasi præludia pacis esse, & utile restaurandæ concordiæ instrumentum. g) Prudentibus ergò hæc dicta sunt, quorum interest scire, & quid expediat sibi, & quidnam quadret ad præsens. Hoc nil cum simplicitate, nil cum stoliditate commune habet.

d) *Exigente utilitate publica, induciarum hoc sanctissimum institutum cepisse, manifestum est, quod & per eas alterius calamitati subveniatur, & devictorum miseria consulatur. Tali pacto Vologesen petuisse inducias testis est Tacit. Annal. XV. l. m. 268. Nam licet eas nec natura precipiat, nec prohibeat; tamen ab eo tempore, quo bella geri cæperunt, omitti non possunt; quandoquidem nec summo semper uti jure expedit, nec omnem denegare misericordiam, pium videtur, nec alterius procurare excidium, justum apparet; præcipue si & facienda reconciliationis, & pensandorum belli sumptuum non plane nulla spes affulgeat. Itaque & consilia & rationes omnes ad humanitatem, quo ad ejus fieri potest, referant Principes, & quod ipsi expetere rebus adversis possunt, secundis nemini denegent, Serenissimi Electoris D. Joh. Georgii I. exemplum imitaturi, qui & concessit, & accepit inducias, ut ex Tricennalis belli monumentis, quibus ejus immortales virtutes & ad æternam posteritatis memoriam insignes, condita sunt, clarissime apparet. Ceterum quàm sanctè armistitium habuerit, quàm religiosè inducias coluerit, vel ex literis anno 1647. 6. Nov. ad præfectum militia Svecicæ datis colligere est. Quæ cum præter alia, publicis inserta sint annalibus, frustra Principem omni laude majorem,*

rem, laudare ingredior. e) Pax, ad quam digitum hic intendo, hoc anno inter Sereniss. Gallia & Hispania Reges coaluit. Qua si forte non utilis Hispano; tamen civibus Belgii non nisi pace forentibus salutaris, Caesari invidiosissimo subinde expetita, Illustrissimis Sacri imperii Senatoribus accepta, Gloriosissimo Electori nostro Johanni Georgio II. publico latitia argumento inter tormentorum fragores tympanorumque strepitus solennia mereri augustissima visa est. Nimirum haec summi Principis pietas est, quam & attonitus miratur terrarum orbis, nec, nisi ipsa malitia criminatur. Ut vel eo solum nomine (quis enim reliquas augustissimas virtutes percenseat) dignus fuerit, cui Deus immortalis & Caesarum eligendorum arbitrium daret, & excelsissimum in Sacratissimo Imperii Senatorum Concilio fastigium tribueret. Nec audaculus ille & personatus Professor pograbus, VVaremundus Sincerus, tanti & tam augusti Principis tacere laudes potuit. Majestatem, inquit, ut decet, veneratur imperatoriam: Vicinitate innoxia gratus est Principibus. f) Hac innuere mihi videtur Hornius O. P. part. 2. fin. Gustavus VVrangel, inquit, cum feliciter in Austriam & Bavariam irrupisset, ac Caesareanos passim debilitasset, primò ad inducias; deinde ad pacem rem deduxit. Huc spectant inducia Mazarii, summi nuper in Gallia sanctioris consilii, arcanorumque imperio Administrum, qui eodem penè instituto paci prolusit.

§. 3. Hic etiam, nisi ea de re jam antea aliquid monitum esset, expediendum foret, an ei, à quo inducias pacisci constitutum alteri est, dari obsides conveniat? Quod fieri oportere, & ratio svadet securitatis, & infinita ostendunt exempla. Talem in modum Elector Mauritius h) cujus cælo receptus animus, virtutis in terris æterna memoria est, Magdeburgensibus, vadibus nomine Caesaris datis, inducias conservaturum se, confirmavit. i) Quale tamen hic latuerit arcanum, neminem prudentiorum fugit. Similiter & Romanos dedisse obsides, jam supra est monitum. Sed ea obsidum datio non eò valet, ut à religione sacramenti & data fide liberet. k) Interim de Induciis inter Duce Albanum & Pontificem initis scribit Natalis Comes, l) ad captiorem ac fraudes comparatas fuisse. Neq; inquit, ullæ ferè sunt induciæ fieri solitæ, nisi ad fallacias, cum modò fiant ad proditiones commodius instruendas, modò ad resumendas vires, ut promptiores paratioresque possint insurgere. Quò Lylandri refert facinus, causantis, à se dierum, non noctium pactas fuisse inducias. Eoque spectant induciæ ad exitium penè Mediolanensium pactæ, quas Lib. VI. H. Fl. memorat Scriptor Florentinus. Hoc arcanum Frotonis, Regis Daniæ exposuit nobis Alb. Cranzius I. Vandal. IX. Eumque imitatione expressit Henricus IV. Rex Gallia, à rerum, quas gessit, incredibili fama Magnus appellatus, qui ne hosti, Sabaudia Duci, spatium daret colligendarum virium, inducias, quibus sæpe ali pertinaciam acceperat, denegavit, prout doctissimus rerum civilium Joannes Schmidelius obs.

ad

ad diff. V. Boxhorn. ex Pet. Matt. refert. Nec omiserim hucreferre, Pharasmanem, etiam pactis induciis, filium Rhadamistum (cujus elegantem cum Solimanno Turcarum Imperatore, comparisonem exhibet Annibal Scotus ad Tac. Annal. XII. p. 472.) monuisse, obfidionem, qua per religionem conventorum decedendum fuerat, continuaret, & oppugnationem Castellum Mithradatici acceleraret. Haud diversum fortasse Moschorum Imperatoris institutum est, quem vergentis hujus anni mense cum Tartaris & Cosacis inducias pacturum, ex actorum monumentis publicis accepimus. Sed ut iis haecenus defuit successus, ita clades alteri parti certe non defuit. Affertur quoque Turcam hoc tempore (si vera tamen fama est) consilia induciarum cum Veneta Republica agitare. Quae quod spectent, nemo non cordatorum intelligit facile. Verum enim verò à pravo & vitioso quorundam more ad rem ipsam summovendam, ineptus sis, si colligas. Quid? quod ea ratione nulla societas, nullum probandum foedus esset. Monebit, opinor, Machiavellus, inducias à Nicolao Piccinino, ducis sui nomine factas, primò initia, mox firmamenta pacis fuisse, l. VI. H. Fl. Igitur cum laudamus inducias, prudentibus earum committi judicium volumus, qui & recta versare consilia, & salutare publicarum rerum inire rationes possunt. Tùm verò Comes iste Venetus ut aliàs judice Arumæo m) parùm dextrè judicet, ita perperam induciis imputat, quod Pontificis perfidiae imputatum oportuit. Fecerant Carolus V. & Henricus II. Galliae Rex inducias. Uterq; servaturum se, sponderant. Sed regiam fidem pontificis astus mutavit, dicam, an vicit. Horratur, rumpat inducias, quibus non nisi insidias ipsi structas intelligat. n) Imo praclarum hoc Pontificis facinus est, unde non parùm turpitudinis ad purpuratos redundat patres. Scelus erat, nulla victima expiandum, nulla unda eluendum, cum Uladislao ad violandas inducias dux atque auctor esset. o) Nam quis eum in rebus seculi dedit judicem? Quis arbitrum negotiorum civilium constituit? ineptioris, incertum, an superbioris ingenii argumentum fuit, cum pacem in augustis Comitibus factam, habere ratam nollet. p) Nimirum sumit sibi, quae non habet, rapit, quae Deus odit, Principes averfantur.

b) *Indebitur in eum Comes Venetus, Campanella, & omnes, qui studio partium ducuntur, digni, qui in conspectu publico erubescant. Sed erubescunt. Tam efficax est veritas. Salva igitur res est. Aserit ejus laudem atque immortalem gloriam Frid. Hortleder, & natus vindicanda Domus Saxonica existimationi Joh. Sleidanus, elegantissimus inter Germanos Historicus, judice Hortled. & Boëcl. in Museo. i) Tom. II. Gest. Carol. V. k) Nam obfides sunt quasi accessiones quadam, quibus non tollitur, sed firmatur obligatio princeps. Id si libet, contendas licet cum fidejussione, quae ad cavendum efficacius principali accedere obligationi solet. Huc conf. Ayala & tr. de jud. inter gent. 7. 448. l.) Histor. Univ. sui temp. l. 10. ad A. C.*

A. C. 1556. m) ad A. B. d. c. d. 7. Huic suffragatur Frid. Hortlederus in
diss. Jurid-Politic. pro defens. Patr. libertatis & pac. p. 11. qua extat in
Pot. Imperial. Goldasti part. XXXI. 1. 1375. Simile alibi de Lazio judiciū
Praefes dedit, cum institutum de pratens. Cimbrorum & Teutob. libro sin-
gulari persequeretur. n) Sic Legatus Pontificius ait in regio confesso. Quod
si quis inducias mihi objecerit, ego longè bellum esse anteferendum hujus-
modi insidiosis induciis contempserim, quā multo magis, quā apertum bel-
lum sunt periculosa. His non multo post subicit, probabilem jam defensi-
onis Ecclesia occasionem oblatam esse, polliceturque, Pontificem auxilia sum-
misurum. Hem praclarum monitorem; hem tyrannidis machinatorem, &
perfidia instigatorem. De hac tyrannide praclarissime Vir Summus & de
studiis cū divini, tum humani juris, omnisque prudentia immortaliter me-
ritus D. Caspar Zieglerus, Patronus, Hospes, Praceptor submisit semper
honorandus latissime in Notis ad jura Canonū publice exposuit. o) Vid. tract.
sub tit. Turcar. art. & arm. ubi allegat auctor, Julianum Purpuratorum
Pontificis praecipuum ferè his argumentis ad persuadendum esse usum. Non
debere eos isti fœderis penitere, qui a Gracu ad novam expeditionem in-
vitentur. Sacramenti vinculum, quo Turcis obstringantur, rumpi debe-
re tanquam infidelium: jusjurandum illud contra Christiana Societatis
incrementa editum nullatenus obligandi prae datum esse: tum nec inconsultis
fratribus, & invito Pontifice cum barbaro hoste sanciri fœdus posse. Leges
servari debere usque ad aras. Praferrent igitur nomen sanctissimi Pa-
tris amicitia pessimi hostis, & quantocius ad delendum Turcam propera-
rent. Interesse hoc Christiani orbis, & fore ex dignitate Regis. Suppetere
milites rerum bellicarum peritissimos: à tergo munitissimas civitates re-
licturam, à fronte omnia Victoris futura. Tormentorum, glandium, ar-
matura satis esse. Principes quoque affuturos, de comitatu & stipen-
diis una opera provisuros. Praestare denique quidvis facere, quā Turca-
rum libidini, feritati, & avaritia infervere, & committere, ut latius Otto-
mannica superstitio grassetur. Pugnaturum Regem pro communi Christi-
anorum salute, pro aternitate regni, pro securitate publica, pro aru &
focis, pro diis penatibus, libertate & honore Ungaria, pro legibus & libera-
tate Gracia, pro liberis denique & conjugibus, quibus, Rege vita sancto,
à Barbaro multa pericula immineant. Facundè satis, si satis justè, No-
bis sententiam Purpurati verbis iis proferre libuit, qua locutum res ipsa
suggerit. p) Nimirum sanctio illa VVestphalica anno 1648. facta, tam ma-
le habuit pontificem, ut ad ratam habendam nullis adduci rationibus vo-
luerit. Quam dum irritam pronuntiaret, omnibus ludibrio fuit. Nec im-
merito, quod binis vicibus contra obtestaretur; primò quidem Innocentius
X. per interpretem Fabium Chistum. Deinde hic sub nomine Alexandri
VII. quod in locum Pontificis inaugurato impositum fuit, per internuncium
Scipionem de Comitibus nullam declaravit Pacem Augustam. Sed preti-
um non tulerunt aliud, quā aut impudentia labem, aut notam ineptia-
rum. De illo festivè invictissimus & augustissimus Divus Imperator Fer-
dinanda

dinand. III. Hæ bel tempo, Signor Nuntio il Papa, perche Donna Olympia gli rassa il capo per farlo dormire. Vid. descript. Vit. Olymp. Mald. p. 146. 147. Epistola, quâ prædictam sanctionem irritam pronunciat, & iniquam, extat in scripto, cui titulus est, Syllog. Orb. Terr. Practic. ao. 1665. Hamburg. edit. Sed hac atque talia ex actis temporum publicis non possunt non constare.

§. 4. Sed nunc unum præferunt induciæ ingenium. Aliæ fiunt in rem, aliæ in personam. Hæ cum persona extingvuntur paciscentem. At multò secus illæ se habent, quales fuerunt Romanorum, inducias sine mentione personæ in centum aut plures annos paciscentium. Si verò versetur in dubio, notione rei, an personæ definiatur pactum. Judicandum erit ex verbis formula pacti comprehensis, quali illa sensu veniant, quiq; germanus vccum fit significatus. Dehinc pro diverso regnorum rerumque publicarum statu, vel pro re, vel pro persona præsumitur. q) Sunt etiam, qui doceant, inducias alias expressâ, alias tacitâ conventionem initas intelligi. Verùm hujusmodi induciæ, quas ex tacita pactioe æstimant, omni obligandi effectu carent, ac induciarum quidem nomen obtinent, sed vim non assequuntur, ut præclarissimè nos monuit D. D. Ziegler. in Disp. supra laudat. thes 31. Sed verò nec omnes induciæ purè ineuntur, sed quædam etiam sub conditione, quæ iterum variare potest. Harumque si rectè recordor, exemplū præbent civis rebelles oppidi San Jani Angelii, inducias ad X. dies sub conditione paciscentium, ut in rer. Germanic. superior. secul. Volumine est. Ubi Doctores morum dispicere solent, an induciæ à duce pactæ, Principem, cujus ille auspicio bellum gerit, teneant? Nos id breviter componemus. Nam duces majestate destituti (contingere alicui potest, ut ipse Princeps auspicio ductuque proprio adsit bello) vel habent ex concessione Principis liberam de ineundis belli foederibus potestatem, vel præfinitam, aut circumscriptam. Si constet, illam Duci datam esse, res extra omnè erit controversiam, licere Duci, uti visum ipsi est: si equidem utile aut necessarium fuerit, pangere inducias. Sin verò ea permessa non fuerit, spes rati, Duci asylum erit. Nam rebus ita stantibus, in eas nisi sub conditione consentire non potest. Si enim Princeps urgeri molem belli velit, nec sponsonem sub conditione datâ, esse ratâ jubeat, haud dubiè nulla est illa induciarum pactio. Sed si Princeps eo tempore, quo induciæ panguntur, taceat, non sine causa dubitandi erit ratio, an ex isto silentio colligere liceat, ratas Principem inducias habuisse? Certè si nec longiori disjunctus loco sit, & suppetant argumenta, in itæ pactiois famam ad ipsum perlatam esse, ac silentio alii accesserint actus, unde saltem verosimiliter de voluntate habendi ratum constare possit, standum à parte affirmantium haud ex vano putaverim. Sin verò ad silentium alii actus aggregati non fuerint, unde rati indicia præbeantur, non est, quòd soli silentio in hac causa innitendum existimes. r)

q) Ern.

¶ *Ern. Gockel. de fader. cap. 17. p. 773. Ill. Groc. de Jure B. & P. II. XVI. 16. pag. edit. noviss. 284. r) Egregia hic quoque notat Ill. Groc. II. XV 17. p. 276.*

§. 5. Ex iis, quæ proximè monita sunt, deducimus, omne id, quod pactus fuerit inferior, cum exceptione superioris intelligendum esse; quippe cujus potestati inferior subjectus, non potest non ad illius voluntatem se componere. Jam sequitur, ut exponamus, quando demum induciæ obligent. Quod, data brevitatis fide, succinctè dicere nos juvabit. Certum enim habeo, statim à tempore initi contractus, suam esse vim obligationi. Simulatque enim hic absolutus fuerit, partes contrahentes sibi invicem tenentur ex contractu. Ac quidem de partibus paciscentibus res minimè dubia est. At cum quæritur de iis, qui paciscentium potestati subjecti sunt, dicendum judicandumve erit, hos prius non obligari, quàm pactiois formula promulgata solenniter fuerit. Etsi enim sanctio Principis naturam constituat legis, non tamen ita absolvit, uti ea in genere morum requiritur: ubi & evidens & certa & sufficiens actionum civilium regula, faciendorumque & omittendorum indubitata esse debet norma. Quòd si verò nec publicè edita, nec solenniter promulgata fuerit, vim legis, obligantis civis, assequi nondum videtur, quia cum Princeps per legem à se constitutam, iensa sua atque voluntatem aperire vult civibus, curare debet, ut solenni promulgationis ritu pro cuiusque territorii more, ad eorū, quos tenere debet, notitiam perveniat, ita ut nulla pro ignorantibus sit præsumptio, nulla pro diffitis locoque disjunctis valeat ratio. Nam per quod actio dirigi humana debet, ita ut certi aliquid fiat, & contrarium omittatur, id quis non debet nescire. s).

s) *Joh. Paul. Fel & Ving. de Leg. th. 99. p. 292. seqq. Cof. Eustach. à Sancto Paul. tert. part. Eth. tr. 3. quest. 7. Abr. de Rac. membr. de jur & leg. tert. idque colligitur arg. Arist. Eth. 10. cap. ult. ubi notandum, satis esse ad promulgationem, si in communi ea facta fuerit, ita ut sine difficultate innotescere omnibus potuerit. Huc conf. H. Nicolai Exercit. Eth. VI. de legib. Proinde si per culpabilem quorundam negligentiam acciderit, quòd in partem notitia non venerint, nullus excusationi locus erit. Idcirco receptum est, ut ignorantia affectata scientia comparetur, l. 11. §. 3. ff. de inst. act. Similiter ignorantiam facti publicè noti relevare ignorantem non posse, constat, cum præsumatur, quemvis id scire, quod publicè scitur. Idem de supina ignorantia iudicium l. 15. §. 1. ff. de contr. empr. Sed de ignorantia iuris idèd magis liquet, quandoquidem hoc ex ipsis primorum natura principiorum fontibus hauriatur & fluat, si de jure naturali fuerit sermo, quod omnes in universum obligat homines. Sin verò de jure constituto, quod positivum dicunt, multò aliter judicandum est. Sed id latius exequi jam non vacat. Itaque præter alios conferatur lter. Philos. Moral. l. 2. cap. 4. axiom. 5. Joann. de Salas tract. de leg. quest. 96. tr. 14. disp. 15. §. 9. & alibi. Paul. Laymannus Theol. Mor. l. 1. tr. 2. cap. 4. seqq. I. F. Horn. c. 5. th. 27. de jur. N.*

§. 6. Cæterum illius temporis, quo induciæ definiuntur, tam

D 2

favo-

favorabilis ratio est, ut produci id debere, multa, quæ svadeant, in promptu sint. Quoniam enim induciæ & cessationem à bellicis actibus denotant, & remedium mitigandæ alterius partis miserix continent, & ipsi denique humano generi parcunt, temporis, ad quod porriguntur, nota favorem pro se habet. Ut verò tempus in pactione induciarum numerandum rectè exponamus, interpretandum ante omnia est, tempus esse vel continuum, vel mentione termini descriptum. Ibi ut à momento ad momentum numeratio fiat, & ratio exigat conventorum, & ipsa penè svadet natura, & maximus induciarum, quibus humano sanguini parcitur, jubet favor. Esto igitur: dixerint patres contractantes. Pactas inducias in viginti quisq; annos servanto: pactio illa demum ultimo anni vicesimi momento terminari intelligitur, ita ut eo nondum elapso, tempus induciarum nondum censeatur completum. Propterea hic non tam dierum civilium, quàm momentorum exacta observari numeratio debet. E diverso si tempus induciis præfinitum, mentione termini notatum fuerit, pronuntiandum est, favori induciarum convenire, ut spatium temporis, quo definiuntur, inclusum censeatur. Proinde si inter paciscentes ita convenerit. Induciæ usque ad Idus Sextileis duranto. Terminus Iduum pactione comprehensus intelligitur: id quod eò minorem habet dubitationem, quò magis favorabilis temporis adscripti in hac parte ratio est, ut adeò nisi adjectus dies præterierit, bello iterum experiri, per fidem pacti non liceat. t)

r) Varii occurrunt hic juris textus, sed quos vitanda prolixitatis causa de industria præterece. Interim conf. vir Summus Hug. Grot. de Jure B. & P. III. XXI. 4. p. 602. qui instar omnium erit, dignus, qui & ob justis operis contextum, & exquisitum ordinem considerandi, & rarum distinguendi acumen, & gravissima rationum pondera ab omnibus laudetur. Faciunt huc aliàs §. 2. l. de Verb. obl. & l. 44. §. 1. ff. de obl. & act. Sed quid dicendum, si inducia in anni bissexto vicesimum octavum diem Febr. fuerint constituta? Si inter eas gentes usus Calendaris Juliani sit, favor induciarum exigit, ut biduum comprehensum intelligatur. Id n. in mense intercalari pro uno die habetur l. 9. ff. de V. S. Si tamen tempus, quo inducia circumscripta erant, elapsum fuerit, ipso jure bellicos repeti actus, manifestum est, ut adeò, nisi aliter conventum fuerit, nulla in hac parte opus sit in dictione.

§. 7. Magna vero induciarum religio, magna vis, magnum vinculum est, quod & majores nostri agnoverunt, & nemo ignorat, nisi barbarus. Itaque si civibus, qui rebus novis studuerunt, aut rebellionem quacunque de causa concitarunt, induciæ fuerint concessæ, perinde erunt servandæ, ac iis, qui extra hanc sunt noxam. In promptu ratio est. Nam omnes homines, cujuscunque loci, ordinis & status fuerint, veniunt in partem juris gentium, capacesq; sunt obligationis tum erga se, tum erga alium, quatenus illa ex conventionem vel ex promissio-

missione oritur. Sic ut maximè paciscaris cum latrone, cum pirata, tamen obligatione non liberaberis, nec dubium erit, quin fides semel data sit servanda. u) Fingo Principem, cujus subditi sacramento, quo adacti fuerant, se ipsos solvant, ac scelesti defectionis consilia re exequantur. Illis bellum inferat Princeps, perfidiam vindicaturus, & rebelles ad obedientiam & justa obsequia armis revocaturus. Sed interim fortuna ipsum viribus ita destituat, ut, quæ voluerat, assequi non possit. Intelligat etiam, si bellum illatum persequatur, majus ad se damnum esse perventurum. His rebus eò tandem deveniat, ut cum rebellibus inducias paciscatur. Quæstio ad factum pertinens versatur, an sanctè illæ habendæ induciæ sint? Affirmatè cur respondendum sit, causa est, quòd tali rerum statu Princeps de jure suo cessisse videatur, & facultatem, seu rationem quandam in genere morum efficacem in civibus deprehendisse intelligatur, propter quam cum iis, quos antea rebelles judicaverat, pepigerit inducias. Ex hoc colligamus licet, nullo jure, nullo pietatis fundamento subnixum esse illud vulgi.

Fidem frangenti fides frangatur eidem.

Digni Poëtastræ ineptientis cerebello verius, & cum auctore ad ipsam barbariem relegandi. Facile autem, quòd hæc pertineant, olfaciet, qui res gestas superiorum temporum perspectas habet. x)

u) Nam & cum latronibus & piratis jurigentium communio est, Conf. Grot. III. XIX. & D. Joh. Strauch. dis. Justin. XII. Aph. IIX. nec non D. Lebleu. instr. futur. Consil. c. 24. p. 259. x) In hac quæstione facti duo olim disceptabantur, 1. an Belgæ sint rebelles? quod Hispanus affirmabat, illi negabant. 2. an facta belis, eo nomine exorti, compositione, & sanctione publica jus immunitatis ab omni Hispanorum præensione consequuti sint? Quod ipsi iterum ajunt. Nos alibi dicemus, in quo hujus disceptationis summa vertat. Interim rebellionem ex animo detestamur, & suum cuique Principum æternum imperium, & stabilem pariter pacem precamur.

§. 8. Sed alia succedit cura, perpensuro, utrum justum sit, inducias violatas, tempore adhuc induciis præstituto, vindicari? Nobis omninò id fieri justè videretur, quòd paciscentes istæ partes sub conditione æqualiter servandæ hujusmodi pactionis, contraxisse censeantur. Qua ab altera parte violata, altera & solvi protinus pactorum religione, & alteri, sine omni denunciatione, movere bellum posse intelligitur. Tum verò si rectè judico, non debet esse melior conditio perfidi, quàm fidelis, fœdifragi, quàm veracis, injusti, quàm justi. Contraria exempla afferri, non ignoramus, sed unde regulam facere, inusitatum, imò inauditum inter prudentes sit. Urbanitas quorundam in præjudicium justitiæ allegari non debet.

y) Grot. l. III. XIX. 14. p. 579. 598. Tales enim induciæ sub conditione imita censeantur, ita ut si hac pars servare debeat, illa quoque ad servandam obligetur. Itaque si altera à præstanda promissione discesserit; altera quo

quoque ob id, sub cuius tunc a conditione induciarum contraxit, non impletum, ad implendum obligari non potest. Hinc eo casu cessat illud, perfido quoque fidem servandam esse.

§. 9. Sed & hic temporis, quod inducias metitur, haberi ratio debet. Quippe induciarum privilegio usuri, id tanta observare industria debent, quanta cura est salutis. Sunt etiam, qui hic scrupulum injiciant, decidendum postulantes, utrum jure induciarum illi uti liceat, qui eo tempore, quo circumscriptæ sunt induciæ, summa quadam necessitate coactus, in hostico remanserit? Nempe fingamus Cajum, tempore induciarum, quæ Calendis Quintil. definitæ sint, in vicinam urbem commigrasse, & vix eò profectum in morbum incidisse, nec prius convaluisse, quam præterierint Kalendæ, præfinitus induciis termino. Si strictio agendum jure est, haud excusaverim Cajum, qui sibi impu- tet, quòd suis neque de statu suo nuncium miserit, neque morbum per alios indicaverit, ut avehendum curarent; tum quod fortasse temerè abierit, quodq; inter suos illa non quæsierit, quæ in civitate ad hostem pertinente expectaverat. Nam non video, quomodo ille privilegium induciarum allegare possit, cum tempus, quo jus illud se exerebat, præterierit, & adeò nullus illius beneficii, quod jam tum cessavit, possit esse effectus. Si verò à jure discessuri, de pœna loquamur, æquum vulgò censent, aut generoso hoste dignum, talem dimittere, quòd non tam malitia quadam, quam per imprudentiam peccaverit. Sed id non sine cautione accipiendum esse, alibi monendi occasio erit.

§. 10. Nulla verò ratione concedendum est, ut, si milites privatim se laceant, induciæ rumpantur. Nam id vel uno confirmare argumento possum, quod ex ingenio ipsius pactionis militaris arcesso. Qua enim auctoritate superioris constituuntur, eadem dissolvantur, necessum est. Atqui hanc nonnisi publicam esse, nemo tam rudis est, ut nesciat. Quibus igitur modis quid colligatur, iis separatur & dissolvitur etiam. Huc pertinent Turcarum & Hungarorum 2) mores, qui privatim sæpe se aggrediuntur, & prædas subinde agunt, invita utraque principe parte, quæ in id non consentit, neque publico actu, in- diciove ullo ruptas esse inducias declarat. Si tamen damna à privatis illata nimium excreverint, justæque patientiæ excefferint limites, illa ut sarciant privati, jure altera petere pars potest. Nam ut eò publica auctoritate adigantur, remedia dari oportere omninò, fas puto. Nisi tamen invaluerit consuetudo, ut damna damnis pensentur.

2) Auger Gissen. de Busbeq. Ep. Turc. prim. passim. Proinde inducia sunt cessatio actuum hostilium, non quorumvis, sed publicorum.

§. 11. Nec omittendum hic putamus, quod multos hætenus fatigavit. Damus, inter duas partes tempore pacis convenisse, ut, quæ ante bellum possessa sunt, alteri earum restituantur. Cogitandi arripitur occasio, quale istud sit bellum? Novumne, an idem repetitum intelligi debeat? Nos, ut par est, iis accedimus, qui de bello eodem, tal-

faltem verò renovato, interpretantur, cum & pactis induciis, semper idem maneat bellum, & à præliis tantum, non à bello, cessatum hæcenus sit. aa)

aa) de *Jud. inter gent. part. 2. pag. 435.*

§. 12. Jam curæ erit, dispicere, qualis Legatorum de induciis agentium conditio sit? Per honorificum esse legatorum munus, & reipublicæ pariter salutare, in aperto est. Sed verò non erga omnes eadem comitatis declarari argumenta, tam notum est, quàm compertum, aliam civilem, aliam militarem esse legationem. Quarum illa & per benigna, & favorabilis maximè est. Nam legati civiles & prolixiùs accipiuntur, ac legati militares, & munificentius tractantur, & in interiora civitatis, ubi exponenda sunt mandata, recipiuntur, muneribus ac honore maximo affiendi. Verum qui fecialium partes bb) obeunt, vel denunciaturi bellum, vel exoptulaturi injurias, vel res ablatas repetituri veniunt, eadem, qua illi, humanitate non excipiuntur, sed gravissimè admonentur, caveant à propinquiore accessu, abstineantq; liberiori egressu, ab urbe ut plurimum, in qua caput rerum est, & castris submovendi. Adduntur & subinde custodes, qui quæ agant, & quò commeare soleant, diligentissime observent. Cujus ratio à metu exploratorum, ac justa suspitione desumitur, quò existimari possit, tales non modò nuntiarum mandata, sed & speculatum aliena, & proditum arcana, quæ moliatur, quæve agat hostis, venisse.

bb) Inde colligere in promptu est, Legatorum quidem receptionem esse juris gentium, sed non eandem hujus receptionis rationem esse, ac adeò aliam magis, alià minus solennem, aliam majori, aliam minori comitate excipiendam, quarum utraque in privilegio securitatis quidem paria facit, sed in humaniori ac benigniori recipiendi officio discrimen versatur maximum. Hujusmodi legationis, militaris specimen dederunt *Ton-Hove & Gubert. de VVitt. Lusitaniæ Regis Don Joan. IV. Vidua bellum indicturi. Nos, inquit, commissorum fœderati Belgii Curatores, ut legitimum sit ejus initium, dominorum nostrorum jussu ac nomine, Regiæ Maj. Tuae, cæterisque Lusitaniæ regni Proceribus & incolis, bellum indicimus, decernimus & declaramus: & justis Dei benignitate freti, ut prospero successu, atque optato fine geratur, optamus. Sicut commemorant* *ISWEXOTAT* *Thuldenus Hist. part. III. l. 7. cujusmodi Legati speciatim vocantur Heroldi, si bella denunciantur veniant. Ex quibus apertum est, multis à se intervallis distare legationes civiles & militares; ad has referimus legationem de Induciis, solennitate quidem & securitate à civilibus haud recedentem, ac comitatis, honorumque tributorum officiis prioribus illis longè posthabendam.*

§. 13. Ast postremum haud ducimus negligendum, jura induciarum, ut solius majestatis sunt cc) ita nisi ea indulgeat majestas, aut speciatim salutis publicæ gratia aliis utenda concedat, neminem ea sibi posse arrogare, nisi in sacra imperii impium, nisi hostem, nisi perduellem. dd) In sacratissimo Imperii Germanici corpore, quatenus equidem de ejus agitur jure, aut rebus ad salutem utilitatemve publicam ulla ratione pertinentibus, nec solus Imperator, nec soli Ordines, sed miro quodam & divinitus concessio temperamento, ee) ea cum Imperatore conjuncta habent exercentque Ordines. ff) Nam nullas recipit Germania leges, nisi nomine Imperii. gg) Sanctus Germanis Imperator, sanctum Augusti nomen est, quæ stat conventis, interposita jurisjurandi religione confirmatis.

126
matis. Colunt illum Ordines fide & obsequio, si servat promissa: parent, obsequuntur, venerantur, sed legibus alligatum. hh.) Quicquid contra eas factum fuerit, non censent ab Imperatore fieri. Sed id ut alibi persequamur, occasionem nuper dedit Hortlederus. ii.) Nimirum nil tam Germaniæ adversum est, quam regium imperium: nil tam salubre, quam temperatum, & ex Imperatore Ordinibusque suavissimo coalitum consensu regimen. Quorum conjuncta & sanctis imperii Legibus fundata majestas ut æterna sit, & perpetua Augusto nostro cum Senatoribus concordia, pax, & inviolabilis amicitia intercedant, pietas civem Germanicum jubet precari. Ceterum Conciones civiles, quibus Oratores de induciis acturi solent uti, hic omitto, alibi à Præside recensendas. Sed hic finimus, quia lex imperat finem.


cc) Inducias ad jura majestatis pertinere, jam satis ex superioribus liquet. Idque non rectè observatum Casari penè exitium attulit, ut eleganter declarat Georg. Lorenz von Spattenbach polit. philosoph. p. m. 110. Sed latebat hic arcanum dominationis, alibi edisserendū. dd.) Inducias, quæ nomine imperii panguntur, nō minùs, quàm cætera jura belli & pacis, fæderum & Legationum, ad Imp. & Ordin. conjunctim pertinent. Quæ autem jure potestatis in territorium competentis ineuntur, cuique pro se Principum concessæ sunt. Quod & publica sanctiones, & exempla innumera testantur. Sed hic non omiserim, Georg. Braudlacht. a nobis disfidere, ut qui censeat, Principibus non tam titulo potestatis in territorium, quàm peculiaris cujusdam privilegii nomine, induciarum dandarum jus convenire. Qui tamen si illic de iis induciis loquatur, quæ ad moram debitoribus exhaustis concedendam comparata sunt, fortasse tamen non ex vano suspicabimur, idem ejusdem de induciis militariis judicium fore. Sed id alibi plenius examinabimus. Interim conf. dictus auctor in Rep. Rom. Germ. c. 14. p. 198. 199. ee) Ineptè divinum hanc ordinem, & suavisimam harmoniam, suggillat personatus Monzambano de stat. Imper. German. at. 6. §. 9. cujus judicandi parum sape religiosa licentia alibi accuratius castigabitur. ff) Sacras imperii leges (vulgo fundamentales vocant) ab Imperatore non nisi Ordinū consensu sanciri, constat ex tabulis publicis. V. Pacif. Osnabrug. Instr. §. 2. Vers. gaudeant. Conf. R. A. anno 1654. S. und aber bey den ersten / & §. sehen demnach ordnen / wollen und gebiethen. Sed id vel sola confirmare potest sanctio Augustissimi nostri Imperatoris Leopoldi. Cujus ut fera vita & æterna sit majestas, & salutis Germaniæ, & religionis erga sacratissimum imperium interest precari. gg) Limn. annot. ad cap. Carol. V. art. 2. Summus J. C. ius Carpzov. c. 3. ad L. R. f. 1. Stirnius Nomoth. T. IV. Hulder. Emben. ad Perez. tit. de S. Ct. n. 2. & personatus ille ad nobissimam imperii sanctionem commentator, qui Burgoldensem se vocat. hh) nimirum digna vox majestate regnantis est, legibus alligatum se Principem profiteri. l. 4. C. de Leg. Hac causa est, cur Politici distingvant inter imperium, absolutum, & ut vocant, legale, seu temperatum, quale Imperatori nostro convenire, in expedito est probare. Huc conf. Gockhel. cap. 12. ch. 13. Sed hujus fundamentum ineptus sit, qui ex legibus Justinianeis derivatum velit. Itaque hic provocamus ad publica decreta, pragmaticas sanctiones & Casareas, ut loquuntur, capitulationes, ac mutua compactata. ii) in diss. de Just. Bell. Germ. contra Carol. V. Imper. quæ extat sine operum Melch. Goldasti.



X2615925

VDA7







4

1665 21 a

DEO FORTUNANTE:
DE

INDUCIIS

Publicè disputabunt
PRÆSES
RADUS SAMUELSCHURTZ,
FLEISCH,

&
ROLUS WIDEMANNUS, LIPS.
A. & R.

VI. Eid. Septembr.
A. E. C. V. clis lsc LXIIX.
in Acroaterio Philosophorum.

ITTEBERGÆ, Excudobat JOH. HAKE.

Conj. Bartholom.

869.

